JUSTINI FEBRONII JCti
DE
STATU ECCLESIÆ
ET
LEGITIMA POTESTATE ROMANI PONTIFICIS
LIBER SINGULARIS,
AD
REUNIENDOS DISSIDENTES
IN RELIGIONE CHRISTIANOS
COMPOSITUS.

TOMUS QUARTUS
ULTERIORES OPERIS VINDICIAS CONTINENS.
PARS PRIMA.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ.
ANNO MDCCLXXIII.

B. R.

Digitized by Google

Iſaiæ Cap. XXX. V. 1.

Qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris? Cùm fatigatus fueris contemnere, contemneris.

Digitized by Google

NOVA DEFENSIO
JUSTINI FEBRONII JCti
ADVERSUS
FRANCISCI ANTONII ZACCARIA S. J.
ANTIFEBBRONIUM VINDICATUM,
ET ALIA RECENTIORUM OPERA.

Digitized by Google

LECTORI.

Dum renovatæ pro Romanis prætenſionibus Patris Zaccaria inſtantiæ, & aliorum Scriptorum novæ adversùs Febronium lucubrationes, nos pro defenſione Libertatis Eccleſiaſticæ ad pugnam revocant, audio nonnullos dicentes: Ut quid tanto æſtu de præeminentia Pontificis & Conciliorum diſputatur, quandoquidem nemo ignorat, utrique reverentiam deberi & obedientiam. Attamen plurimùm refert hanc quæſtionem à genuinis principiis deduci, & ex ſolidis fundamentis definiri; ſiquidem à juſta ejus reſolutione omnes reliquæ ad Regimen Eccleſiæ pertinentes dependeant. Etenim ſi Papa ponatur ſupra Concilium, datur ei illimitata poteſtas; conſtituitur Eccleſiæ abſolutus Dominus & Monarcha; evertitur neceſſitas & auctoritas Conciliorum, illorum deciſiones & harum vigor à voluntate

Digitized by Google

tate & ab imperio Pontificis penitus dependebunt; eas ille poterit pro arbitrio abrogare aut mutare; privabuntur Epiſcopi nativo ſuo jure, eis divinitùs attributo, & ferè reducentur ad qualitatem ſimplicium Conſiliariorum & Officialium Papæ. Hæ ſunt ſequelæ, quas ex illo ſuo principio ipſimet Romanæ Curiæ Theologi deducunt, omnem Eccleſiaſticam poteſtatem in manu Pontificis ponentes, omnem libertatem Eccleſiæ abrogantes, & formam Eccleſiaſtici regiminis à Chriſto & ab Apoſtolis inſtitutam evertentes. Inde omnia illa mala in Eccleſiam delapſa, de quibus optimi Scriptores, ſerie non interruptâ, amarè queruntur.

In gravi hac cauſa & præjudiciali quæſtione ſtant ab una parte Theologi Romani: ſtant adversùs illos Galli, innixi majorum ſuorum conſtanti doctrinæ, tandem firmatæ ſolemni Nationis Decreto, & multi cum eis ex inſignioribus Theologis & JCtis Germaniæ, Hiſpaniæ, Luſitaniæ &c. Noſtrum non eſt, in hac adversùs Jeſuitam Romanum, ex mandato Curiæ ſcribentem, iteratâ Defenſione omnia Gallorum, & eorum qui cum eis ſunt, argumenta excitare, ſed exſtantiora ſaltem ex eis refutando attingere, quæ ille ad prætenſam Gallicanarum ſententiarum ſimul & Febronianarum aſſertionum enervationem in medium profert, præſertim nova; ſi tamen nova ſunt, quæ ille nobis ſub nova veſte præſentat. Illud inter

cætera per decurſum operæ oſtendendum fuit, & ſuis reſpectivè locis monſtratum opinor, Jeſuitam adverſarium haud raro in bonam fidem peccare, & circumductioni Lectorum majore ſtudio incumbere, quàm enucleandæ veritati. Hac fallendi arte, in qua exercitatiſſimus eſt, potiſſimùm utitur, quando ea, quæ laudatiſſimi quique non ſolùm è Gallia, ſed etiam ex Hiſpania & Germania Epiſcopi ac Theologi ſcripſerunt, perinde inſectatur ac carpit, quaſi à nobis non fuerint aliunde deſumpta, quàm è libris Hæreticorum.

Sic, dum Febronius cum Alphonſo Toſtato Abulenſi Epiſcopo, cum Abbate Panormitano, Andrea Eſcobar, Dominico Soto, Alphonſo Guerrero, cum ſacra Facultate Pariſienſi docet, Clavium poteſtatem Univerſitati Eccleſiæ propriè tranſcriptam eſſe, per ſuos Miniſtros exercendam; placuit Zaccariæ Tomo I. ſui Antifebronii italici pag. 43. reponere, *Febronium, niſi eum pudor retinuiſſet, potuiſſe in hanc ſuam ſententiam quoque laudare Richerium, Queſnellum, Lutherum, & Calvinum.*

Si nos, duce S. Cypriano, cum Lud. Thomaſſino, Petro de Marca, & tantùm non innumeris primæ notæ Catholicis Scriptoribus, Epiſcopatum pluribus *in ſolidum* communem ſtatuimus; ille ſui Antifebronii vindicati Tom. I. pag. 451. ait, *Febronium in eo Marcum Antonium de Dominis, Sarpium, Bing-*

Binghamum, *Fellum*, *aliósque hujus furfuris homines fœdè imitari.* In univerſali autem illo Epiſcopatu (quem Dominicus Sotus, Petrus Guerrerus Granatenſis Archiep. bina Concilii Tridentini lumina, & tot alii Catholici Doctores ſuſtinent) *excitata*, inquit, *video Hæreticorum dogmata*, *Magdeburgenſium inquam*, *M. A. de Dominis*, *Danielis Tileni*, *Salmaſii*, *Felli*, *Binghamii*, *Deilingii.*

Quando nos cum laudato Soto, Franciſco de Victoria & Bellarmino docemus, omnes Epiſcopos, quoad jurisdictionem & adminiſtrationem, ex primæva inſtitutione eſſe æquales: ille pag. 444. hæc *ex cænoſis Hæreticorum fontibus hauſta* fuiſſe comminiſcitur; & pag. 448. illa *eò ſpectare*, *ut Epiſcopalis poteſtas Pontificiæ exæquetur.*

Febronius cum Card. Cuſano, Dom. Soto, Lud. Thomaſſino, Præſule de Marca & aliis auctoritatem Epiſcoporum in ſua inſtitutione abſolutam & illimitatam aſſerens, ab adverſario ſuo Zaccaria cit. Tom. I. pag. 461. audire debet, *hoc commentum abſurdiſſimum eſſe ac planè deteſtabile*, *quod ſchismati viam parare queat*; *inde conſequens fieri*, *ut Epiſcopi nullum debeant ſuperiorem agnoſcere*; *nulla proinde in Epiſcopos auctoritas Summo Pontifici competat.*

Ille cum Gerſone, Fleurio, Realio &c. tradit, Eccleſias olim alios non habuiſſe Rectores, præter Epiſcopos, qui nemini niſi Deo ſuæ adminiſtrationis ratio-

rationem redderent. Zaccaria ſuos lectores hac doctrinâ territurus, pag. 495. ait, *hoc ex Cypriano colligere Calvini ſectatores, & plures de Lutheranorum grege*; addens: *En præclaros duces, quos Febronio ſequendos Pereria monſtravit.*

Quando Febronius Tomo I. Cap. 2. §. 4. non ſolùm expreſsè monet, ſed probat etiam, jus & officium Capitis & Primatis Eccleſiæ intra fines *nudi directorii* NON ſubſiſtere; Jeſuita Antifebronii vindicati Tomo II. pag. 19. *perſpiciat*, inquit *Febronius ipſe, quàm glorioſum ſit homini Catholico Syſtema* UNIUS INSPECTIONIS *Pontifici adſerendæ ex Marco Ant. de Dominis, Leibnizio, & damnato Dupinio hauſiſſe.*

Si Generalis Concilii ſupra Pontificem à nobis ſtatuatur auctoritas (quod innùmeri Theologi faciunt, & Eccleſia Gallicana ſolemniter profitetur); *inde*, ait ille cit. Tom. II. pag. 103. 108. & 160. *ſequitur, quòd Epiſcopi ſuis Synodis diœceſanis, & Rex Comitiis regni ſubditus eſſe debeat.*

Gerſo, Natalis Alexander & alii Catholici Doctores, neque pauci neque incelebres, docent, *Fratris* nomine etiam Pontificem deſignari, qui æque circumdatus infirmitate, & peccatis obnoxius, propter certa crimina denuntiari poſſit ac debeat Eccleſiæ, quæ non poſſit eſſe Pontifex ipſe, ne idem ſit reus & judex, corripiens & correctus. *Talia*, inquit Zaccaria eod. Tomo

II.

II. pag. 148. *tradit Febronius cum Hermanno, Ameſioque, hæreticæ factionis Theologis.*

Dixi cum Boſſueto, Natali Alexandro, Antonio Pereria, Gregorium PP. VII. in tradendis ac practicandis doctrinis de poteſtate Pontificis transferendi coronas & regna, quaſi omnium principem & anteſignanum fuiſſe. Quid Jeſuita? Is Tom. II. p. 162. *hoc Febronii dictum magnam ſui Auctoris aut in mentiendo audaciam aut inſcitiam arguere.*

Auctor Præfationis Tomi II. Februniani ſtatuerat, condendarum univerſalium legum poteſtatem non eſſe penes Romanum Pontificem. In ſubjecta ibid. Nota meminit hujus propoſitionis: *Papa poteſt totum Jus Canonicum deſtruere, & novum conſtituere,* quam S. Facultas Pariſienſis anno 1472. damnavit apud Bulæum Hiſt. Univerſ. Pariſ. Tom. V. p. 754. Verum eſt, quòd eadem Facultas hanc propoſitionem damnaverit ex aſſertis *Fratris Angeli* Ordinis FF. Minorum. Sed nec ideo minùs verum eſt, eandem indignam eſſe vocem in Bulla *Eugenii Papæ,* quamvis hujus in Pariſienſi cenſurâ non fiat mentio; quod neque factum auctor dictæ Præfationis aſſeruit. Huic eapropter ab Adverſario Tom. I. pag. 351. valde iniquè *ſingularis in mentiendo impudentia* objicitur. Sanè qui in Febronii Tomo I. pag. 213. ſeqq. & Tomo II. pag. 398. ſeqq. antiquas & modernas Romanorum doctrinas expendit, talem propoſitionem in Bulla Eugenii IV. minimè mirabitur.

Dum

Dum nos ex viro æſtimatiſſimo, clariſſimo Barthelio, Canoniſtarum Germaniæ principe, eóque nominatim citato, occaſione Romanæ Librorum Cenſuræ ſcripſiſſemus, vocem Paſtoris & Servi ſervorum Dei, à voce Deſpotæ & Domini Dominantium ſecernendam eſſe: ille Tomo I. pag. 23. ait, *Febronium perditiſſimos homines ſequi: ſe in ois audire Queſnellum.* Finaliter, (ut ſimilia plura prætermittam) ſi Clerum Gallicanum, ſi Pariſienſem Facultatem, ſi Boſſuetum appellamus, horum doctrinam ille affirmat habere natales admodùm nuperos. De Roberto Lincolnienſi, Durando Mimatenſi, Petro de Alliaco, Gerſone, Card. Cuſano, Alphonſo Toſtato, Andrea Escobar, Panormitano, Natale Alexandro, Claudio Fleury, Antonio Pereria, noviſſimo, attamen graviſſimo Theologo Oliſiponenſi, cum inſigni contemptu ipſe & ejus ſocii loquuntur & ſcribunt.

Quis jam ferat ſcriptorem toti venerandæ antiquitati, tot Epiſcopis & primi ſubſellii Doctoribus non ſolùm impudentiſſimè illudentem, ſed etiam audaciſſimè inſultantem? Quis probet hæc terriculamenta puerorum, hæc ſpectra, ad terrendas meticuloſas & imbecilles animas fallaciter inventa? Quis non damnet malignum illud invididam creandi artificium? An tu, Chriſtiane Lector, in his agnoſcis Scriptorem veritatis ſeriò ſtudioſum? Ego quidem hic video hominem cum ratione furentem, virum egregiè calumniatorem, incautos fallentem & ſeducentem, ne veritatem agnoſcant. Video

deo virum Curiæ Romanæ plus quâm decet devotum, ſed ejus cauſam peſſimè defendentem; etenim prudentiores, eisdem, quibus ille, præjudiciis haud faſcinati, judicabunt, eam ſimilibus ſtratagematibus (dicámne fraudibus?) ſuſtineri; aliter non poſſe.

Obſervaverat paulò ante laudatus Eximius Pereria, per Gregorium VII. in Epiſtola ad Herimannum Ep. Metenſem & in Cap. 4. X. de Jurejur. per Innocentium III. in Cap. 6. de Majorit. & Obed. item in Cap. 13. de Judiciis; demum per Bonifacium VIII. in Extravagante *Unam ſanctam*, locutum eſſe *Iſidorum Mercatorem*: Per Eugenium IV. in Bullis adversùs Baſileenſes, locutum eſſe *Turrecrematam*: Per Leonem X. in Bulla *Paſtor æternus*, & per Paulum IV. in Bulla *Cùm ex Epiſtolatûs officio*, locutum eſſe *Cajetanum*: Per Paulum V. in Monitorio adversùs Remp. Venetam locutum eſſe *Bellarminum*. His addo, per Clementem XIII. in ſuo adversùs Parmæ Ducem Brevi de 30. Jan. 1768. locutum eſſe *Zaccariam & Socios ejus*. At verò per Clementis XIV. Encyclicam, incipientem *Cùm ſummi*, quam in ingreſſu ſui Pontificatûs ad omnes Epiſcopos orbis Catholici dedit, non loquuntur Mercatores, Turrecrematæ, Cajetani, Bellarmini &c. non privatus aliquis obnoxiúsque Doctor de Schola ſive Thomiſtica, ſive Scotiſtica, ſive Jeſuitica, ſed (quod S. Leoni Magno acclamatum eſt à Chalcedonenſi generali ſynodo) loquitur *S. Petrus* omnium Apoſtolorum Princeps, quem alte-

 rum

rum poſt ſe fundamentum Eccleſiæ ſuæ Dominus noſter conſtituit. In hac Epiſtola optimus Pontifex unam *Scripturam*, unamque Scripturæ interpretem *Traditionem* pro regula Fidei & Morum habendam & conſulendam docet. Verba ejus pene divina huc juvat tranſcribere: " Ad hanc in ſacris Litteris acceptam normam
„ facta & conſilia omnia dirigentes; præterea Patrum
„ noſtrorum certiſſimis inhærentes veſtigiis, inſtructiſ-
„ ſimos nos futuros putemus ad omnes vitandas offen-
„ ſiones, quæ Chriſtiani Populi *fidem debilitare* poſſint,
„ ac infringere, atque *Eccleſiæ unitatem* ulla ex parte
„ diſſolvere. *Ab his Divinæ Sapientiæ fontibus, ſcri-*
„ *ptâ ſcilicet traditâque doctrinâ, quæcunque ſive ad*
„ *credendum, ſive ad agendum requiruntur*, TANTUM-
„ MODO *hauriamus*.

Sanè hoc cum ſapientiſſimo Pontifice putavit Febronius, hoc putamus nos: ſcilicet, his duobus *tantummodo* gladiis, non aliis armis, inſtructiſſimos nos eſſe ad vitandas omnes offenſiones, quæ Chriſtiani Populi *fidem* debilitare, quæ Eccleſiæ *Unitatem* diſſolvere poſſent; quæque *illam* actu debilitaverunt, & *hanc* reipsâ diſſolverunt; his proinde duntaxat gladiis ad ſarcienda hæc damna utendum eſſe, alia ad hunc finem arma non valere.

His gladiis pro unione Catholicæ Eccleſiæ à nobis hactenus certatum eſt adversùs plures, tum Jeſuitas, tum alios. Sed exſurgunt identidem NOVI ſic dicti *Anti-febro-*

febroniani: Petrus Ballerinius Veronenſis Presbyter; Ennodius Faventinus, ſub quo nomine P. Carolus Traverſari ex Ordine Servorum B. M. V. latere dicitur, cujus etiam operâ Faventiæ Litteraria *Academia Antifebroniana* inſtituta eſt, quæ Iliadem ſat lepidam in necem Febronii peperit, Tomo primo verſionis italicæ Epiſtolarum Antifebroniarum P. Viatoris à Cocaleo præfixam. ALII, contra quos jam à nobis pugnatum eſt, procuſis novis Voluminibus in arenam redeunt: hi ſunt Ladislaus Sappel; Viator à Cocaleo; &, cum quo nobis præcipuè negotium eſt, *Franciſcus Antonius Zaccaria S. J.* Cùm poſtremus hic reliquorum omnium conatus ſuperaſſe, & validiora eorum arma ſuo armentario inferens, omne illorum robur ſuum feciſſe videatur; atque eâ de causâ Patris Zaccaria novum Opus, id eſt, *Antifebronius Vindicatus*, Jeſuitis Germaniæ adeo victorioſum viſum fuerit, ut illud ſuperiore anno, non Bibliopolarum, ſed privato ſumptu, Francofurti recudi fecerint, eo fine, ut majore facilitate per omnes Imperii Germanici partes divulgaretur; hinc cum eo nobis in nova hac Defenſione potiſſimùm dimicandum fuit, attamen cæteris, quos jam nominavimus, non penitus neglectis. Interim (quod hic monendum duximus) nos in allegatione paginarum Vindiciarum Zaccarianarum italicam editionem ſecuti ſumus.

Quod ad pugnæ methodum attinet, hanc nobis ille Tomo II. pag. 472. legem ſcribit: " Febronius me

„ imitetur, ſiquando ad mei hujus Libri confutationem „ animum adjecerit, nihilque eorum diſſimulet, quæ ad „ ejus vel profligandas ſententias, vel ad argumenta „ enervanda à me proferuntur. „ Si huic Adverſarii provocationi obtemperarem, plus profectò tædii Lectori cauſarem, quàm Eccleſiæ & Publico præſtarem obſequii; deſineret noſtra diſceptatio in privatam litem, & in eam perſæpe quæſtionem, quis noſtrûm in hoc vel illo puncto aptiùs locutus ſit. Taceo, quòd ille diſputationi plurima inſeruerit ſubſtantiam rei, id eſt, genuinum ſtatum Eccleſiæ, haud tangentia, quæ proinde nullo cauſæ præjudicio valent prætermitti. Ego pro meâ virili brevitati ſtudui & ſoliditati. Hoc volo, hoc poſtulo, ut æquus Lector, comparatis invicem utriusque partis argumentis, ſepoſito omni præjudicio, *de ſubſtantia cauſæ, de ejus bonitate ac juſtitia* ferat judicium; ſpero omnino, futurum, ut illud faveat decori, libertati & unitati Eccleſiæ.

Interea nec illud extra conſpectum poſitum velim, Febronium cum ſuis Defenſoribus *pro Reunione Eccleſiarum* ſcribere ac laborare. In hoc ſcriptionis genere non omnia ùt jam definita aſſeruntur, ſed nonnulla ùt utrimque *pro bono pacis* adoptanda proponuntur, ſeu (ut more ICtorum loquar) alia in his ſunt juris *conſtituti*, alia juris *conſtituendi*; habentia nihilominùs etiam hæc ſpeciem veri & boni, & nihil quod veræ fidei repugnet in ſubſtantialibus. Attamen hic fidem nobis ſuam

Zac-

Zaccaria negat, aſſerens Tom. I. pag. 100. 116. 117. &c. Febronium, Romanis Pontificibus infenſum, illos, ti & Cardinales, Nuntios Apoſtolicos ac Monachos mni alio conſilio ſtudióque tam atris coloribus pinxiſſe, quàm ut facilior ad componenda nos inter & Proteſtantes diſſidia aditus patefieret. Alibi ait, Febronii eclamationes eò tantùm ſpectare, ut Romanos Pontices Proteſtantium odio ac ludibrio exponat. Linquamus, ſi velit, Jeſuitam in hoc ſuo temerario judicio, uando nobis & fortè aliis perſuaſum erit, Proteſtantes, iros doctos & perſpicaces, Eccleſiam noſtram unà cum hærentibus illi vitiis haud amplexuros. Igitur ad aſſeuendum intentum finem oportebat illis, qui de futura eunione laboraturi & tractaturi ſunt, has odioſas & vioſas ſuperfluitates denuntiare, queis Proteſtantes à reitu potiſſimùm abſterrentur. Si atri ſunt colores, quius mala Eccleſiæ pinguntur, reſtat, ut videatur, num geuini ſint. Quis de eo judicabit? Orbis Chriſtianus. Dico, & ſtudioſè dico, *Orbis Chriſtianus*, non ſolus *Cleus*; etenim hoc Reunionis negotium, ſaltem in præpaatione, plus ab opera & à ſtudio *Politico* participat, uàm à *Theologica* ratione.

Vidimus à nonnullis annis haud pauca ex exſtanoribus illis in Eccleſia malis, de quibus nos, dolentius & indignantibus Jeſuitis, querebamur, ſi nondum niverſim, ſaltem in nonnullis majoribus illuſtrioribusue Eccleſiis ſublata: per quos? non per *Clerum*, ſed

per

per *Catholicos Principes.* Sic horum pariter Reunionis in negotio primæ erunt partes, Clericorum ſecundæ: Loquor de ordine actionis ſeu operationis. Non moleſtè ferat P. Zaccaria, ſi huc refero verba Theologi de grege Proteſtantium, egregiis ſcriptis adversùs Materialiſtas & Deiſtas non ita pridem editis clari, Abbatis Jeruſalem Brunſvicenſis. Is à quodam Viro illuſtri, eidem Reunionis negotio intento, atque de eo tum Em. D. Cardinale de la Lante acturo, conſultus reſpondit ſcripto an. 1772. typis evulgato, ſub titulo: *Von der Kirchen-Vereinigung, ein Bedenken des Herrn Abts Jeruſalem*, id eſt: *de Unione Eccleſiarum Judicium Dom. Abbatis Jeruſalem.* In eo, poſtquam Auctor rei gravitatem pro condigno expendiſſet, ſic pag. 42. proſequitur: *Solte ich das Syſtem des* Febronius *vorſchlagen? Es iſt wahr, dieſes würde die Römiſche Kirche uns näher bringen. Aber dieſes Syſtem wird und kan niemals das Syſtem des Römiſchen Stuhls werden, den wir doch, ſo lange es die Vorſehung nicht ganz anders veranſtaltet, als das Centrum der Römiſchen Kirche anſehen müſſen. Und wie wenig dieſer Hof hiezu noch jetzund geneigt ſey, dieſes Syſtem für das ſeinige zu erkennen, das bezeugen deſſen Bewegungen dagegen, und die Schriften, die auf deſſen Veranlaſſung es widerlegen ſollen.*

Kan ich es ohne die geringſte Beleidigung ſagen, und darf ich von den gegenwärtigen Bevvegungen, die die Vorſehung im Chriſtenthum entſtehen läſt, auf die künf-

künftige Zeiten ſchlieſſen; ſo ſcheinet es faſt, daß dieſes Syſtem, da es mit ſo groſſem Beifall, und von allen, vvas auf Politick, Philoſophie und die feinere Gelehrſamkeit Anſpruch machet, aufgenommen, und von den anſehnlichſten katholiſchen Höfen und Univerſitäten unterſtützet vvird, ſo daß es auch in Wien nach einer dreymaligen Cenſur für unſchuldig erkannt vvorden; ſo ſcheinet es, ſage ich, faſt, vvenn man beſonders auf die übrigen auſſerordentlichen Bevvegungen zugleich acht gibt, daß dieſes das Syſtem vverden mögte, vvelches die Vorſehung als ein Mittel, der Chriſtenheit nach und nach die Eintracht vvider zu geben, vorerſt ervvählen vvolle. Aber Theologen können mit ihren beſtgemeinten Abſichten vorjezt noch nichts dazu beytragen.

Die Vorſehung kan alles allein thun, und vvird, vvenn es ihr Werk iſt, daſſelbe durch vveit ſicherere, vveiſere und ſanftere Mittel ausführen, als die menſchliche Klugheit je erſinnen könte. Die Trennung vor dritthalbhundert Jahren konnte vvohl nicht anders, als durch gevvaltſame Erſchütterungen, geſchehen; aber die Wiedervereinigung ſcheinet ſie durch ſanftere Wege beförderen zu vvollen. Und vvenn vvir aus den ſchnellen Schritten, die ſie bisher gethan hat, ſchlieſſen dörfen, ſo können vvir ihr ruhig zuſehen, und ſie vvird mehr thun, als menſchliche Bemühungen hätten ausrichten können, und alle Vernunft hätte hoffen dörfen.

*** Quia

Quia hæc digna ſunt, ut ab omnibus legantur, hinc ea in gratiam & uſum illorum, qui germanicum idioma non callent, in latinum hiſce transfero: " An, inquit, Fe-
„ bronii Syſtema proponam? Verum eſt, per illud no-
„ bis Romanam Eccleſiam propinquiorem futuram;
„ ſed hoc Syſtema neque erit, neque poterit eſſe Syſte-
„ ma ſedis Romanæ, quam tamen nos, quoadusque
„ Providentia aliter diſpoſuerit, tanquam Centrum Ro-
„ manæ Eccleſiæ debemus reſpicere. Porro quàm pa-
„ rum hæc Curia ad hoc Syſtema tanquam ſuum agno-
„ ſcendum hactenus diſpoſita ſit, evincunt ejusdem ad-
„ versùs illud commotiones, & ſcripta, quæ pro ſuſce-
„ pta ejus refutatione, ipsâ procurante, eduntur.

" Si tamen absque cujusquam offenſione liceat di-
„ cere, quod ex præſentibus agitationibus, quas divina
„ Providentia in Chriſtiana Rep. permittit, ad futura
„ tempora augurari poſſe putem: videtur idem illud
„ Syſtema, quod ab omnibus, qui ab eruditione ſive
„ politica, ſive philoſophica, aut à cultu elegantiorum
„ litterarum laudem appetunt, tanto plauſu recipitur;
„ quod à primariis Catholicis Aulis atque Univerſitati-
„ bus ſuſtinetur, adeo, ut etiam Viennæ, poſt tertiò re-
„ petitum examen, innoxium reputatum ſit: ſic inquam
„ ferè videtur (præſertim ſi inſimul ad reliquas, quas
„ cernimus, extraordinarias viciſſitudines animum ad-
„ jiciamus) hoc illud Syſtema futurum, quod Providen-
„ tia tanquam medium reuniendæ cum tempore Chri-
ſtiani-

„ ſtianitatis præ aliis velit adoptare. Verùm Theologi, etiam optimis conſiliis ſuis, ad hunc finem hactenus nihil valent conferre. Sola Providentia hac in re omnia poteſt. Hæc (ſi illud ſuum ipſius opus eſt) idem per certiora, ſaniora & ſuaviora media ad ſuum finem perducet, quàm omnis humana ſagacitas valeat excogitare.

„ Diviſio Religionum, quæ ante duo ſæcula cum dimidio contigit, non poterat aliter quàm per violentas concuſſiones perfici; Reconciliatio econtra per faciliores & gratiores vias procuranda videtur. Et ſi ex citis paſſibus, quibus illa hactenus profecit, ad futura liceat concludere, videbimus tranquillè, eam cum tempore progreſſuram longiùs, quàm omnes mortalium conatus queant perficere, & humana ratio auſit exſpectare.

Similia auguria, licèt à viris egregiis profecta, Jeſuitis diſplicent, nec ab eis acceptantur pro veris. Attamen præſagia, de quibus tacitus memorat Jeruſalemus, vera ſunt & ſatis concludentia. Etenim ferè à nupero decennio vidimus Jeſuitarum Ordinem, primarium reunionis adverſarium, è florentiſſimis regnis proſcribi, & eorum bona publicari. Vidimus Bullam, quæ *Cœnæ* dicitur, in perpetuum aboleri. Vidimus Regulares legitimæ ſuorum Epiſcoporum jurisdictioni reſtitui. Vidimus Regulas Cancellariæ abrogari, & beneficiorum collationes iis reddi, quibus eæ de jure competunt.

 tunt.

tunt. Vidimus Eccleſiaſticorum cupiditati & avaritiæ, quam Stylus Curiæ & Romanæ praxes fovebant, fibulam poni. Vidimus appellationibus Romanis ſuos dari terminos. Vidimus Indicem Romano-Jeſuiticum explodi, & Regias Curias Cenſorias inſtitui. Vidimus omne commercium inter Luſitaniæ regnum & Romanam Curiam per plures annos ſine detrimento Religionis interclufum; Epiſcopis interim nativo ſuo jure, plenè & citra ullam reſervationem aut exceptionem gaudentibus. Vidimus denique (ut alia non memorem) à Regibus Galliæ & Utriusque Siciliæ terras Romanæ Eccleſiæ propter abuſum Eccleſiaſticæ poteſtatis occupari & detineri. Plura exſpectamus. Olim in ſæculis ignorantiæ, ubi ſacerdotium ab Imperio diſſidere contigiſſet, omnia tumultu, ſeditione, inteſtinis bellis & ſacrilegiis complebantur; hodie pacata omnia: Eccleſiæ ejúsque Miniſtris ſua reverentia conſtat: Apoſtolica ſedes honoratur: Eccleſiaſtica Diſciplina in iis regnis ac provinciis, in quibus illa, quæ memoravimus, ſuum jam vigorem penitus obtinent, ſanctè ab Epiſcopis adminiſtratur.

Ea, de quibus nobis hactenus ſermo fuit, præparatoria & ſub divini Spiritûs afflatu diſponentia ad reunionem, *Diſciplinaria* ſunt, pertinentia ad forum Politicorum ac Jurisconſultorum. Cùm demum ad materiam *Doctrinæ* ventum fuerit, advocabimus Theologos; ſed moderatos, non calentes.

Poſt-

Poſtquam hæc ſcripta eſſent, Jeſuitæ ad commendationem Operis Zaccariani (cùm illud ex Francofurtenſi prælo recèns privato, ùt dixi, ſumptu exiiſſet) Novellis publicis Colonienſibus ad diem 19. Febr. 1773. ſequentia curarunt inſeri: " Le P. Zaccaria de la Com-
„ pagnie de Jeſus, peut être mis *au premier rang* de
„ ceux qui ont paru pour defendre contre Juſtin. Fe-
„ bronius le *Syſtéme ancien* & fondé de l'Egliſe Ca-
„ tholique. Il a augmenté ſa reputation en raſſem-
„ blant en deux Volumes in 8vo la Quinteſſence de
„ ſon grand Ouvrage, écrit en Italien, & en le commu-
„ niquant au Public en Latin, ſous le titre ſuivant: *An-*
„ *tifebronius vindicatus &c.* Cet Ouvrage doit faire
„ d'autant plus de ſenſation que l'on y trouve tous les
„ Brefs du ſaint Pere, & les Réponſes qu'il a données
„ au ſujet des Partiſans & des Antagoniſtes du Syſtéme
„ de Febronius, & que l'auteur les a *tirés des origi-*
„ *naux.*

In his tria obſervo: 1.) Quòd P. Zaccaria ponatur *in prima Claſſe* eorum, qui adversùs Febronii ſcripta ſuam locarunt operam. Non repugno: 2.) Quòd ipſe & ſocii ejus *antiquum Syſtema* Eccleſiæ defendere aſſerantur. In hoc ægrè conſentiet Febronius, qui antiquum & genuinum Eccleſiæ ſtatum ſuſtinere meliore jure, irrefragabilibus monumentis ſuffulto, prætendit: 3.) Quòd Brevia Clementis PP. XIII. & quæ ad ea à nonnullis Germaniæ Epiſcopis data ſunt Reſponſa *ex*

authenticis deſcripſerit. Huic ſi addimus, quod ipſe Zaccaria aſſerit, ſe ejusdem Pontificis juſſu ſuum Antifebronium vindicatum concinnâſſe, idque, uti quidem videtur, in ipſa urbe Roma, non immeritò hoc Jeſuitæ Opus tanquam proprium Romanæ Curiæ partum reſpicimus. Cum hoc Curiæ partu, obſtetricante Jeſuita edito, præſentem noſtram Defenſionem, pro Eccleſiæ libertate ſuſceptam, ab iis, qui neutrarum partium ſunt, conferri non recuſamus. Quòd autem in hac cauſa neutrarum partium eſſe liceat, ex iis, quæ jam dicturi ſumus, apparebit.

Scilicet pro Jeſuitis & pro Curialiſtis ſcripſit Colonienſis Ephemeridum vulgator, quem jam memoravimus, ipſe quondam Jeſuita. Liceat igitur ad cauſam Febronii, ſeu veriùs Eccleſiæ, huc quoque referre, quæ alius Ephemeridum ſcriptor, Gallus, non Jeſuita, vulgavit ad diem 5. Junii 1771. „ Nous avons annoncé „ dans nos Feuilles des 12. & 19. Août 1767. l'Ouvrage de Fébronius, *ſur le gouvernement de l' Egliſe & de la puiſſance du Pape &c.*, comme faiſant deja „ (trois ans après ſa publication en 1764.) la plus grande ſenſation dans toute l'Europe, comme capable „ d'y décrediter totalement l'Ultramontaniſme, & d'y „ renouveller le bon gout & les études ſolides du Droit „ Canonique. Les faits que nous avons à rapporter „ aujour d'hui viennent à l'appui de ces premieres „ conjectures. 1.) Nous apprenons qu'il s'eſt fait conſecu-

„ ſecutivement pluſieurs éditions de cet Ouvrage; nous
„ en connoiſſons trois données en Allemagne &
„ avouées par l'Auteur, & cinq contrefaites ſous le ti-
„ tre de *Bouillon*. 2.) On a vû dans notre Feuille du
„ 13. Mars dernier, que la Cour de Portugal, non con-
„ tente de donner beaucoup d'eloges à cet Ouvrage
„ de Febronius, & de le venger des cenſures, par les-
„ quelles certains eſprits turbulens avoient tâché de le
„ flétrir, l'a fait traduire & imprimer en portugais. 3.)
„ En Eſpagne, le Procureur Général de Conſeil de Ca-
„ ſtille (M. *de Campomanés*) l'a cité avec honneur dans
„ ſon *Jugement impartial* ſur le Bref de Rome contre le
„ Duc de Parme, comme *un ſavant Ouvrage, où l'on dé-
„ montre la forme originelle & la veritable conſtitution
„ du gouvernement de l'Egliſe*, Tom. I. §. 1. n. 15. 4.)
„ Nous ne parlerons pas ici de l'applaudiſſement, avec
„ lequel il a été reçu en France, par tout ce qu'il y a de
„ ſavans attachés à l'ancienne doctrine de l'Egliſe Gal-
„ licane. Cela ne pouvoit être autrement, l'Ouvrage
„ de Febronius ne contenant que cette même doctri-
„ ne &c.

Itaque ſi Aula Imperialis, quamvis egregiè ſollicitata, pro ſe & vaſtis auguſtæ Domûs Auſtriacæ regnis ac provinciis Pontificia Brevia adversùs Febronii Librum emanata non recepit; ſi Gallia huic libro, doctrinæ ſuæ Eccleſiæ in omnibus conformi, applaudit; ſi in Hiſpania in Actis publicis pro auctoritate allegatur; ſi in Luſi-

Luſitaniâ ipſamet Regalis Curia eum ab illegitimis cenſuris vindicat, atque pro commodiore regnicolarum uſu in Luſitanum idioma verti curat; ſi tantùm non eadem eveniunt in Statu Veneto auctoritate ampliſſimi Senatûs: nemo ſapiens ſuſtinebit, me dixiſſe nimiùm, cùm dixi, in hac cauſa Eccleſiaſtico-politica licere neutrarum eſſe partium, quo æquius de illa feratur judicium.

Interim Româ nunciatur, prælum nunc quoque deſeruiſſe Antifebronii Vindicati Tomos tertium & quartum. Tam recens eſt hic nuncius, ut bini hi Tomi noviſſimi necdum potuerint has in partes deportari. Cùm autem tum ex duobus prioribus, quos hic ſub cenſuram revocamus, tum etiam, & quidem ampliùs, ex majore italico Zaccariæ Opere facilè intelligamus, quæ ſit materia, quæ forma contractiorum Voluminum, quis in eis vigor &c. Sic alteram partem hujus noſtri Tomi IV. eorum examini (cùm ad manus noſtras pervenerint) reſervamus, & ſub Divini Numinis beneplacito atque adjutorio deſtinamus.

V. Idus Martii MDCCLXXIII.

INDEX

INDEX
DISSERTATIONUM ET CAPITUM.

DISSERTATIO I.
DE OPERE FEBRONIANO.

Caput I. *De ſcriptoribus, quibus Febronius uſus eſt. Eorum juſta defenſio à calumniis P. Zaccariæ.* pag. 1

II. *Univerſum Febronii Syſtema P. Zaccaria maximâ infidelitate proponit.* 21

III. *P. Zaccaria Febronium per ſummam cùm inſcitiam, tum calumniam Richeriſmi reum ſtatuit.* 25

IV. *De fructu, quem ex Opere ſuo Febronius exſpectavit. Novæ infidelitates Patris Zaccariæ.* 35

DISSERTATIO II.

DE FORMA REGIMINIS ECCLESIASTICI A CHRISTO DOMINO CONSTITUTA.

Caput I. *Status Eccleſiæ non eſt purè Monarchicus. P. Zaccariæ vacillationes.* pag. 51

II. *Eccleſiæ claves à Chriſto immediatè datæ ſunt; Ea per hoc ſubjectum proximum ſacræ poteſtatis effecta eſt. Nova ſpecimina Zaccariani ingenii.* 60

III. *An doctrina de Clavibus toti Corpori Eccleſiæ datis, & de ſuperioritate Concilii Generalis, natales ſuos debeat Avenionenſi ſchismati?* 78

IV. *Conſtans Eccleſiæ Gallicanæ & Academiæ Pariſienſis doctrina de Generalis Concilii ſupra Papalem auctoritate.* 82

V. *Hiſpanorum ſententiæ de Generalium Conciliorum auctoritate, Papalem tranſcendente.* 85

VI. *Germanorum ſententiæ de Concilii Generalis potiore auctoritate.* 90

DIS-

DISSERTATIO III.

DE EPISCOPATU.

Caput I. *Epiſcoporum poteſtas, tam Jurisdictionis, quàm Ordinis, non à Papa, tanquam causâ proximâ, ſed immediatè à Deo eſt. Miræ P. Zaccariæ oſcitationes.* pag. 97

II. *De Epiſcopatu pluribus in ſolidum communi. Zaccariæ in hac materia novi errores.* 108

III. *Inſtitutio & partitio Diæceſium ex facto hominum eſt, & absque præjudicio univerſalis Epiſcopatus. Diſtinctio inter poteſtatem Epiſcoporum & Presbyterorum reſpectu univerſalitatis. Novæ calumniæ P. Zaccariæ.* 119

IV. *De æqua inter omnes Apoſtolos poteſtate, excepto Primatu Petri. Variæ in contrarium P. Zaccariæ ineptiæ.* 124

V. *Papa non poteſt invadere Epiſcoporum jura & diæceſes. Debilibus adverſariorum argumentis occurritur.* 134

Digitized by Google

DISSERTATIO IV.

DE ROMANO PONTIFICIS PRIMATU.

Caput I. *De natura Primatus ejusque affectionibus ex ſententia S. Bernardi.* pag. 145

II. *Contrarius Patris Zaccariæ argumentis & figmentis reſpondetur. Univerſalis Romani Pontificis Epiſcopatus expenditur.* 151

III. *De Primatu Rom. Pontificis relative ad univerſale Concilium Patris Zaccariæ Syſtema falſum & ordini Epiſcoporum injurioſum.* 166

DISSERTATIO V.

DE CAUSIS MAJORIBUS PRAESERTIM FIDEI.

Caput I. *De judicio Epiſcoporum in cauſis fidei, & in quo illud a Papali differat. Duplex P. Zaccariæ falſum & alia ejus abſurda notantur.* 189

II. *Adversùs receptas in Gallicana Eccleſia ſententias Zaccaria obtuſis armis dimicat.* 210

III. *De nonnullis erroribus, præcipuè in materia Fidei, Febronio à P. Zaccaria per calumniam impactis.* 227

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO I.
DE OPERE FEBRONIANO.

CAPUT I.

De Scriptoribus, quibus Febronius uſus eſt. Eorum juſta Defenſio a calumniis P. Zaccariæ.

I.

Quando ex una parte video, a Patre Zaccaria in ſuo Antifebronio Vindicato Tomo I. pag. 3. de Febronii Libro dici, *nullum à multo tempore extitiſſe eo fortunatiorem*, *cujus multa exemplorum millia per totam latè Europam celerrimè diſſeminata ſunt*: atque altera ex parte intueor magnas ſolicitudines mundanóſque motus, quos idem liber & prompta ejus grataque in omnibus Catholicis Regnis atque Provinciis receptio Romæ cauſavit, quorum motuum idem Auctor *a pag. 25. ad pag. 56.* plura documenta profert; facilè inducor, ut credam, illud ſyſtema Eccleſiaſtico-politicum, quo hodienum Roma utitur, quodque Febronius dicto Libro oppugnavit, neque adeo firmum ac ſtabile inter ipſos Catholicos & per omnes Europæ partes

Digitized by Google

partes reputari, neque illud Nationibus peræque acceptum eſſe. Teſtatum id inſuper fecere intra noviſſimum decennium plures potentiſſimorum Principum aulæ, eandem regiminis formam ſcriptis & factis impugnantes, conformiter ad regulas à Febronio traditas. His equidem Roma oppoſuit primum ſpiritualia arma, id eſt, *Cenſuras.* Sed hæ ei tam infeliciter ceſſerunt, ut ipſamet non ſolum has (quippe quæ non ex genuino tribunali Petri prodierant) omni vigore & effectu deſtitutas videre, ſed etiam antiquiores, queis ſuum Syſtema per aliquot ſæcula ſuſtinere viſa eſt (illas puto, quæ in Bulla Cœnæ continentur) dimittere coacta fuerit. Quod amplius eſt, debuit Roma experiri, quæ illa in Librum Febronii vibravit fulmina, ea paucis in locis audita fuiſſe.

II. Dimiſſis itaque his armis, unica Romæ ſalus in *Scriptis* eruditorum ei addictorum quærenda fuit. Itaque cùm, uti *cit. pag. 3.* ait Zaccaria, Juſtinus Febronius *tanquam præcurſor quidam aut potiùs perfector & magiſter* hujus revolutionis (ſi ita loqui fas eſt) Romæ habitus ſit, in hunc ſtringuntur calami. Inſurgunt omnium Ordinum Viri: *Juſtinianus Frobenius*, ſub quo nomine Euſebius Amort latitare creditur: *Joſephus Kleiner* S. J. Profeſſor Heidelbergenſis: *Ladislaus Sinnnoſchortinus*, hoc eſt Ladislaus Sappel Recollectus: *Gregorius Trautwein*, Præpoſitus & Abbas Collegii Canonicorum Regularium prope Ulmam Suevorum: *Raymundus Maria Corſi*, Dominicanus Florentinus: *Colonienſis Univerſitas: Franciſcus Xaverius Zech* S. J. SS. Canonum Profeſſor in Univerſitate Ingolſtadienſi: *Julius Antonius Sangallus* Minorita Venetus: *Franciſcus Antonius Zaccaria* S. J. quondam Bibliothecarius Sermi Ducis Mutinæ: *Ladislaus Sappel* Ord. S. Franciſci Recoll. Provinciæ Alemanniæ qui ſuprà, nunc aperto vultu: *Petrus Ballerinius*, Presbyter Veronenſis: *Joan. Godefridus Kauffmans* Decanus Facultatis Theologicæ Coloniæ: *Viator à Cocalio*, Capucinorum Provinciæ Brixienſis Provincialis: demum nonnulli *Anonymi.* Ex his aliqui bis in idem argumentum rediere, ſive novos Tomos prioribus addendo, ſive hos

iterata

iterata editione augendo. Huc refero P. Zaccariam, P. Sappel, P. Viatorem, D. Kauffmans.

Inter hos Febronii adverſarios quatuor præcipuè Clementis PP. XIII. p. m. gratiam promeriti ſunt. Patri *Sangallo* idem ſummus Pontifex in compenſationem ſuſcepti laboris præter encomia etiam cenſum annuum addixiſſe fertur. Doctoris *Kauffmans* operam Sanctiſſimus ſingulari Brevi Apoſtolico compenſavit, quod ille in capite ſecundæ editionis ſui Apologetici Theologici imprimi fecit. P. *Zaccaria* in Præfatione Libri, quem hic oppugnamus, ait, eundem Papam Clementem, *de ſe optimè meritum*, ei in mandatis dediſſe, ut diffuſum Opus ſuum, adversùs Febronium italico idiomate exaratum, contractius latinè redderet. P. *Sappel* quoque Brevi Apoſtolico encomiis repleto honoratus eſt, quod Præfationi ſui Tomi II. anno 1771. editi inſeruit. Tanti meriti erat unum oppugnaſſe Scriptorem.

III. Primum ſummùmque horum Quatuorvirorum ſtudium eſt, ut Lectoribus perſuadeant, Febronii librum ex hæreticis aliiſque Scriptoribus Romanæ Sedi admodùm infenſis compilatum eſſe. In hoc illi ſequuntur eundem Clementem XIII., qui 14. Martji 1764. ad nonnullos Epiſcopos Germaniæ ſcripſit: *Omnia ille* (Febronius) *ex hæreticorum, & huic S. Sedi infenſiſſimorum hominum libris conquiſivit, & deprompta in unum congeſſit.* Quantam hæc fidem mereantur, jam ſatis quidem apparet & legi poteſt *Tom. I. Febr. in Append. pag.* 42. 62. 82. 84. *ſeq. Tom. II. pag.* 159. *ſeqq.* 162. *ſeqq. Tom. III. pag.* 247. *ſeqq.* Attamen nonnulla ex his in gratiam P. Zaccariæ refricanda ſunt. In illa parte Præfationis Tomi I. quæ ad Doctores Theologiæ & Juris Canonici pertinet, indicavit Febronius apertè, quibus è fontibus ſua potiſſimùm hauſerit. Hi ſunt *Joannes Gerſon*, *Natalis Alexander*, *Benignus Boſſuetus* & *Claudius Fleury*. Videamus, an hi fontes tam turbidi ſint atque eos facit P. Zaccaria.

De GERSONE mònſtratum eſt *Tom. I. Febr. in Append. p.* 45. nec non *Tom. II. pag.* 124. eum à Petro Caniſio,

ſio, Antonio Poſſevino, Roberto Bellarmino, Jacobo Qualterio, Heriberto Rosweido, Dionyſio Petavio, & Ludovico Callotio (omnes hi Jeſuitæ ſunt, neque ex infima Claſſe) haberi pro *viro ingentis doctrinæ & pietatis, eruditione & innocentiâ conſpicuo, viro magno, toto orbe celeberrimo.* Quare ad hæc non reſpondet Zaccaria? ipſe qui aliis legem dat, ut ad ſingulas ſuas objectiones reſpondeatur. Vin plura? Invenies ea editionis noviſſimæ Operum Gerſonii *Tom. I. in. Præliminar. pag. CLXXX ſeqq.* diſtributa per claſſes Synodorum, Epiſcoporum, & aliorum virorum illuſtrium, numero ſaltem XC. At opponit Jeſuita noſter Tom. I. pag. 147. ſaltem Pariſinum Cancellarium in pluribus erraſſe, & *Sententias Principum non dignitati modò, ſed etiam ſaluti maximè noxias paſſim proferre,* & in aliis etiam *maximè erronea docere.* Quid tum? Ego, ſi poſtulas, pejora tibi in multis Operibus SS. Patrum monſtrabo. An eapropter hi non recti Eccleſiæ Doctores, & fidi nobis in rebus fidei, morum, & diſciplinæ Magiſtri manebunt? Utique diſcretione magiſtrâ. Fatendum equidem eſt, cuncta Gerſonis ſcripta non eſſe ejusdem pretii, nec ſemper eum, in quæſtionibus quas agitat aut ſolvit, verum ſcopum attingere. Sunt nihilominus pleraque ejus Opera optima & utiliſſima, præſertim ad noſcendum genuinum Eccleſiæ ſtatum. Ait Zaccaria pag. 148. nec non pag. 465. ipſo fatente Febronio, *tanta Iſidorianarum Decretalium labes eſt ac virulentia, ut ipſum os Conſtantienſis Concilii infecerit.* Quam ſubtiliter! Vitium hoc non hominis fuit, ſed ævi.

IV. BENIGNUM BOSSUETUM (quem noſter Jeſuita pag. 163. *alterum Febronii heroëm* appellat) non eſſe auctorem Libri, qui inſcribitur *Defenſio Declarationis Cleri Gallicani*, aut ſaltem hoc Opus, ſub Boſſueti nomine vulgatum, fuiſſe ab editore interpolatum, pergit ille temerè aſſerere. Ego imprimis, quotquot video Catalogos Operum magni hujus Meldenſis Epiſcopi in Gallia editos, in eis dictam *Defenſionem* conſpicio. Eundem Librum illi Romæ non minùs tribui, nullus dubito. Em. Cardinalis Orſi, qui præclariſſimi

Libri

Libri refutationem voluminoſo Opere ſuſcepit, & Clementi PP. XII. inſcripſit, ſic Præfationem primo Tomo præmiſſam orditur: *Annus ferè quinquageſimus agebatur ab edita per Cleri Gallicani Comitia celebri Declaratione de Poteſtate Eccleſiaſtica, quum illuſtriſſimus Trecenſium Epiſcopus è re eſſe Eccleſiæ judicavit, ut publicam tandem lucem aſpiceret Defenſio ejuſdem Declarationis ab inclyto & celeberrimo ipſius Patruo Jacobo Benigno Boſſuet Meldenſi olim Epiſcopo, ſpeciali juſſu Ludovici Magni Chriſtianiſſimi Regis, elaborata. Opus, ùt dicitur in Monito ad Lectorem, verè aureum, hactenus reconditum, tamdiu deſideratum, toties laudatum, ſed præſertim hiſce temporibus, propter ferventia itidem partium ſtudia, maximè neceſſarium.* Pergit deindè Em. Orſius: *Quis ad has rationes enucleandas aptior aut magis idoneus reperiri poterat illuſtriſſimo olim Meldenſium Epiſcopo? qui, ut ipſe teſtatur, Deputatis adſcriptus, publicis privatiſque conventibus interfuit, nec tantùm audivit religioſiſſimos Epiſcopos, ſed etiam quæcunque inſigniora, ac memoratu digniora dicerentur, diligenter deſcripſit &c.* Ne verbo quidem Orſius prodit ſuſpicionem interpolatæ Boſſuetanæ Defenſionis, ſive in memorata ſat longa Præfatione, ſive in toto trium graviorum Voluminum Opere; omnia celeberrimo Meldenſium Antiſtiti tribuit.

Pariſienſis Academiæ Socius *de Burigny* ſcripſit, & anno 1761. Pariſiis evulgavit Vitam noſtri Meldenſis Boſſueti. In ea pag. 267. de Defenſione Declarationis Cleri Gall. leguntur ſequentia: „ Le Livre que M. de Meaux compoſa pour „ la juſtification des quatre Articles du Clergé, ne parut que „ vingt-ſix ans après ſa mort, en 1730. Encore cette édition eſt-elle très imparfaite, car ſuivant la remarque du „ Traducteur François, elle eſt tellement eſtropiée, & remplie de fautes ſi groſſieres, qu'elle ne peut être preſque „ d'aucun uſage. *M. Boſſuet avoit d'abord fait cet Ouvrage „ tel qu'on le voit dans l'Edition de* 1730. Aux fautes près de „ l'impreſſion. Il le retoucha depuis, & il mit à la tête une „ Diſſertation qu'il ſubſtitua aux trois Livres qui ſont les

 premiers

„ premiers de l'Edition de 1730. & il diviſa le reſte de
„ l'Ouvrage en trois parties. Vingt ans avant que cette Edi-
„ tion fautive parût, M. Boſſuet Evêque de Troyes, neveu
„ de M. l'Evêque de Meaux, *avoit remis un exemplaire Ma-*
„ *nuſcrit de cet Ouvrage entre les mains du Roi Louis XIV.*
„ Ainſi qu'il nous l'a appris lui-même dans ſon Inſtruction
„ Paſtorale du 30. Septembre 1729. Cet exemplaire n'étoit
„ point accompagné de la Diſſertation préliminaire dont on
„ vient de parler. M. de Troyes *peu content de l'Edition* 1730.
„ & deſirant avec ardeur qu'un Ouvrage de cette importance
„ pût être lu de tout le monde, engagea un homme de mé-
„ rite appellé le Pere le Roi de l'Oratoire, de le traduire en
„ François; & afin que cette traduction pût tenir lieu de
„ l'Original, M. de Troyes communiqua au traducteur la
„ Diſſertation préliminaire, *que perſonne n'avoit jamais vûe*, &
„ tous les papiers de M. de Meaux, qui avoient rapport à
„ cet Ouvrage. M. le Roi s'acquitta parfaitement de la tâche
„ dont il s'etoit chargé, & il donna au public le Livre de
„ M. de Meaux, ſous le titre: Defenſe de la Declaration de
„ l'Aſſemblée du Clergé de France de 1682. touchant la
„ Puiſſance Eccléſiaſtique par Meſſire Jacques Benigne Boſſuet
„ Evêque de Meaux, traduite en françois, avec des Notes;
„ à Amſterdam, aux dépens de la compagnie 1745.„

Ex brevi hac & fideli hiſtoria *Boſſuetanæ Defenſionis* intelligitur, ejusdem editionem anni 1730. (hac, non aliâ, uſus eſt Febronius) eſſe genuinum partum ipſiſſimúmque opus Meldenſis Epiſcopi; nihil ab editore aut quovis alio in primæva hac editione fuiſſe additum, ablatum, aut alteratum. *M. Boſſuet avoit d'abord fait cet Ouvrage tel qu'on le voit dans l'Edition de* 1730.; tale fuiſſe Ludovico Magno ab Auctoris nepote manuſcriptum oblatum; & in gallica demum editione anni 1745., per Presbyterum *le Roi* procuratâ, in nonnullis eſſe immutatum. Verùm (ſic inquit Jeſuita noſter Bibliothecarius *pag.* 165.) Cardinalis de Tencin Monpeſſulanenſium Epiſcopo prætenſam illam Boſſueti Defenſionem urgenti

genti reſpondit: *Cùm Meldenſis Antiſtes Defenſionem Declarationis & alia quædam ſua Opera obſcura manere diligenter curaverit, jure meritóque exiſtimamus, hæc eadem, qualia nunc proſtant, ipſi viſa haud fuiſſe ſuis numeris abſoluta, ſed talia quæ ultimam ſibi manum imponi exigerent.* Permittimus hoc totum; at inde non ſequitur, ſæpe memoratam Defenſionem Declarationis, aut minimam etiam ejus partem, Boſſueto negari poſſe, quin potiùs contrarium ex eodem optimo jure colligimus. Ex eo quoque quòd Boſſuetus *Lib. 3. cap. 12.* nonnulla non tam in laudem ſuæ perſonæ, quam libelli ab eo ſub titulo *Expoſitio Doctrinæ Catholicæ* an. 1671. editi, ab Innocentio XI. miris encomiis honorati, bono fine & ad corroborandam ex ipſiusmet ſummi Pontificis aſſertis ſententiam Cleri Gallicani, inſeruerit (quod ill. Maffeius in ſuis Obſervationibus litterariis Tom. V. pag. 4. adversùs authentiam Defenſionis urget) nos pariter animum magni Præſulis ſuum opus publicæ luci haud exponendi arguimus, at nihil ultrà. Poſtremò, quis fidem negare auſit Boſſueto Trecenſi, magni Meldenſis Epiſcopi nepoti, qui in litera Paſtorali de 20. Sept. 1729. cujus pars editioni Boſſuetanæ Defenſionis anni 1730. præfixa eſt, hæc fidelibus ſuæ diœceſis denuntiat: „ Cet illuſtre Evêque (*de Meaux*) entreprit par Ordre exprés du „ feu Roi LOUIS XIV. d'heureuſe memoire, *la Defenſe* „ *de la Declaration du Clergé de France de* 1682. dont nous „ avons remis nous-même, il y a environ vingt ans, un exem- „ plaire entre les mains de ce GRAND ROI. Cet Ouvrage, „ que l'Auteur a revu pluſieurs fois, & encore peu de tems „ avant ſa mort, doit être regardé &c. „ Obiit Boſſuetus anno 1704. Perſtat itaque, quod antè dictum fuerat, eos qui hoc Boſſuetanum Opus interpolatum aſſerunt, aërem verberare; qui illud eidem Præſuli penitùs abrogare præſumunt, à Gallis, quin & à Romanis, riſum mereri. Utrumque affectat P. Zaccaria, qui pari imprudentiâ, dicam an impudentiâ, Boſſuetanam Defenſionem *Pſeudo-Boſſuetum* vocat Tom. II. p. 365.

V.

V. Pervenimus ad NATALIS ALEXANDRI *Hiſtoriam Eccleſiaſticam*, Opus ingens. Poſtquam illud ſummo Pontifici Innocentio XI. pro parte Auctoris oblatum fuiſſet, fecit ad eum Sanctiſſimus per Cardinalem Cibo 15. Julii 1682. hoc tenore reſcribi: *Eâ occaſione oſtendit Sanctitas ſua, præclarè ſe de tua pietate & Catholicæ Fidei zelo ſentire, ſibique perſpectum eſſe, non defuiſſe te occaſionibus reipſa declarandi, quàm conſtanter Sanctiſſimi Ordinis tui placitis tum in Diſciplina tum in Doctrina adhæreas, ubi præſertim de hujus Sanctæ Sedis auctoritate & dignitate agatur.* Proſtat hæc Epiſtola in Capite Tomi I. hujus Hiſtoriæ edit. Pariſien. an. 1699. Hæc & alia Febronium moverunt, ut *Tom. II. pag.* 111. libros Natalis a *ſoliditate, pietate & utilitate* commendaret. Diſplicet hoc Critico noſtro, qui ait, *vix Tridentini Concilii Decretis Canonibúsque magnificentiora elogia à quoquam eſſe tribuenda.* Quam bellè! Interim biennio poſt, ſcilicet menſe Julio an. 1684. idem Papa Innocentius ſplendidum hoc Natalis Opus igni addixit, *ejus lectionem & uſum omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, etiam ſpecificâ & individuâ mentione & expreſſione dignis, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, à qua nemo præterquam á Romano Pontifice, niſi in mortis articulo conſtitutus, abſolutionis beneficium valeat obtinere, interdicendo.* Intelligo: Sed hoc (ut minimum dicam) motibus illorum temporum, quos recens illa Declaratio Cleri Gallicani & Quatuor ejus Propoſitiones, a Natali, utpote Sorbonæ Doctore, in ſuis libris ſtrenuè defenſæ, in Romana Curia excitaverant, tribuendum eſt. Neque puto, vel unicum Gallum (ut de aliis Nationibus jam nihil memorem) hac prohibitione (quæ ad politica Curiæ meritò referri poteſt) excommunicationis ipſo facto incurrendæ pœnâ vallatâ, à lectione utiliſſimorum librorum deterritum fuiſſe. Interim poſt obitum Innocentii XI. Româ mittitur ad Natalem à quodam Cardinale (cujus nomen ille juſſus reticet) indiculus propoſitionum, quas Religioſi Cenſores in ejus Hiſtoria Eccleſiaſtica carpunt, quæque Pontificiæ Cenſuræ anſam & cauſam dederunt. His pari mo-

deſtia

deſtia ac ſoliditate intextis undique Scholiis ita reſpondet Auctor, ut ultrà nihil à viris doctis, ſtudio partium haud occupatis, deſiderari valeat. Rectè verèque Doctor & Bibliothecarius Sorbonæ *Lavocat* in ſuo Dictionario Hiſtorico-portatili Art. *Alexandre Noel*: „Son Hiſtoire Eccleſiaſtique Latine avec des „ additions & corrections in fol. eſt eſtimé principalement à „ cauſe des diſſertations & de ſes réponſes modeſtes & judi- „ cieuſes aux [illegible]ſiteurs, qui avoient cenſuré cet ouvrage.„ Quid aliud q[illegible] hæc movere potuerunt Benedictum PP. XIII. ut Natalis Opera Hiſtorica omnium uſibus reſtitueret, hac declaratione: *Permittuntur tamen hæc eadem Opera juxta editionem Lucenſem cum notis & animadverſionibus Conſtantini Roncagliæ, ſublatâ etiam excommunicatione latâ in prædictis* (*Innocentii XI.*) *Brevibus pro quibuscunque editionibus.* Magna ſibi in his verbis myſteria deprehendiſſe videtur P. Zaccaria in illo *Permittimus*, in ſingulari illa *Editione Lucenſi*; demum in ſublata ſolùm *Excommunicatione* pro alia quæcunque editione. Ego nihil in his deprehendo niſi pallia, quibus quodammodo involvatur & tegatur bina illa in hoc negotio ſeu Sedis ſeu Curiæ mutatio atque retractatio. De cetero judicent prudentiores de notis & animadverſionibus Conſtantini Roncagliæ comparativè ad ipſiúsmet Natalis prælaudata Scholia.

VI. Hiſtoriam Eccleſiaſticam CLAUDII FLEURII ejúsque in illam Diſcurſus dicit noſter in hoc, ſicut in multis aliis punctis, mendaciſſimè Criticus, Jeſuita, *omnibus Catholicis ſcandalo fuiſſe.* Sanè non fuit ſcandalo paulò ante laudato Bibliothecario *Lavocat*, qui eum in ſuo Dictionario hiſtorico vocat *célebre Hiſtorien, & l'un des plus judicieux Critiques de ſon ſiécle - - - - Uniquement appliqué à remplir ſes devoirs, il n'ambitionna ni les dignités ni les richeſſes, & préfera la gloire de ſervir utilement la Religion & l'Etat aux honneurs que ſes talens & ſon merite pouvoient lui faire obtenir. Il nous reſte de lui un grand nombre d'excellens ouvrages. Les principaux ſont* 1.) *une Hiſtoire Eccleſiaſtique en* 20. *vol. dont le dernier finit l'an* 1414. *On a imprimé ſéparément les huit Diſcours*

Digitized by Google

ſur l'Hiſtoire Eccleſiaſtique, qui ſont répandus dans cet ouvrage. Ce ſont des chefs d'œuvrès en ce genre. Memoratus antè auctor Vitæ Boſſueti eum pag. 161. vocat Fleurium *ab edita Hiſtoria Eccleſiaſtica celeberrimum.* Plura mitto. Tota Abbatis Fleury Hiſtoria in Germania latinè reddita ibidem ſub conſuetis approbationibus edita eſt, & plurimi æſtimatur. Idem de octo ejus Diſcurſibus tum unà cum & in ipſo Corpore Hiſtoriæ, tum etiam ſeparatim editis & quidem iteratis intra paucos annos germanicis typis, verum eſt. Quod mihi argumentum eſt excreſcentis inter Germanos boni guſtus ſolidorum ſtudiorum de rebus ad Hiſtoriam & Diſciplinam Eccleſiæ pertinentium, qui inanibus Romanorum ſtudiis non ſe ſinit deprimi aut corrumpi. Dixi *octo*: totidem enim, non plures Diſcurſus proſtant in editione Pariſienſi an. 1747. *Nonus*, quem adverſarius in Indicem Romanum prohibitorum librorum an. 1725. relatum dicit, neque ejusdem Auctoris eſt, neque unquam à Febronio allegatur. Reſtat, ut videamus, quo argumento hæc, quam laudamus, Eccleſiaſtica Hiſtoria, & Diſcurſus in eandem, Catholicis, & quidem *omnibus*, ſcandalo ſint. Probat hoc noſter Jeſuita Antifebronii ſui italici *Tomo I. in Præfat. pag. CXXIII.* teſtimonio binorum illorum Monachorum Belgarum, de quibus actum *Tom. II. Febron. pag.* 544. & auctoritate auctoris *de la Bibliotheque raiſonnée*, viri Calvinianæ Sectæ addicti, & Catholicæ Religioni admodùm infenſi, cujus hæ litterariæ Ephemerides anno 1728. Amſtelodami imprimi cœperunt. Is Tom. XVIII. Part I. pag. 5. ſeqq. recenſens libellum *Juſtification des Diſcours & de l'Hiſtoire Eccleſiaſtique de M. l'Abbé Fleury*, ita diſſerit *pag.* 8. „ C'eſt moins M. l'Abbé Fleury, que ce n'eſt ſa doctrine, que l'on „ y défend, & que l'on y juſtifie. Cette doctrine tire ſans doute „ à conſequence, ou pluſtôt, on ne peut diſconvenir que les con- „ ſequences n'en portent un coup terrible à l'Egliſe *Romaine*.„ Ubi imprimis notandum, Jeſuitam noſtrum, hominem exuberantis fidei, in translatione horum verborum omittere illud *Romaine*, contentus ſcribere: *che le ſue conſequenze* non

non portino un terribil colpo alla Chieſa. Sed pergamus audire
Auctorem dictæ Bibliothecæ *cit. pag.* 8. „ Car enfin ſi cet-
„ te Egliſe eſt *une*, ainſi qu'on le dit, il faut de toute neceſ-
„ ſité qu'elle enſeigne à *Paris*, ce qu'elle enſeigne à *Rome*,
„ & ſi l'on ſe trompe dans l'un ou dans l'autre de ces deux
„ endroits, il doit être plus probable, que ce ſoit à *Paris*
„ qu' à *Rome* „ Grave ſanè à viro Calviniſta Jeſuitæ ſubmini-
niſtratum argumentum ad juſtificatum ſcandalum, quod ſæpe-
memorata Eccleſiaſtica Hiſtoria & Diſcurſus in eandem ideo
in Eccleſia pepererunt, quia in illis Libertates Eccleſiæ Gal-
licanæ adversùs Curiam Romanam ſuſtinentur, quod centies
ab aliis ante & poſt Fleuryum factum eſt.

Sed pergit Scriptor ejusdem Bibliothecæ *Tom. XXIII. Part.
II. pag.* 251. „Croit-il même (l'Auteur de la Juſtification de
„ M. Fleury) de bonnefoi qu'il n'y a que le P. *Carme*, &
„ que le P. *Auguſtin*, parmi les vrais *Catholiques-Romains*,
„ à qui cette Hiſtoire ait déplu? Je ſuis perſuadé, moi à vue
„ de pays, qu'il n'y a pas un ſeul Catholique NB. à LA
„ ROMAINE, qui n'en ait été auſſi ſcandaliſé que ces deux
„ Religieux.„ Hic obſervamus alteram priore graviorem ho-
minis itali infidelitatem, qui in ſua verſione omiſit verba *à la
Romaine* & eis nuda puncta ſubſtituit. Pergit Auctor Biblio-
thecæ: „ Je ne parle pas de ce qui devroit être, mais de ce
„ qui eſt; & ce que je dis eſt ſi vrai, qu'à Paris même,
„ c'eſt à dire dans le lieu du monde, où il y a le plus de
„ *Catholiques* non *Romains*, l'Hiſtoire de M. Fleury a tant
„ afligé de bonnes ames, que ce n'a été qu'à force de car-
„ tons que le Libraire a eu enfin la permiſſion d'en debiter
„ une bonne partie„ Hæc (ſeu vera, ſeu falſa) in rem ſuam
vertit P. Zaccaria; ſed omittit vir doloſus quæ immediatè ſe-
quuntur: *Mais tout ceci roule ſur les idées que j'attache, &
que je croi que l'on doit attacher aux termes diſtinctifs de* CA-
THOLIQUE, *& de* CATHOLIQUE-ROMAIN. Et poſt
hæc audet adhuc inſultando ſubjungere: „Legga tai coſe *Feb-
bronio*,

„ *bronio*, ſe può, ſenza confonderſi d'avere una ſiffatta opera
„ preſa a ſua guidà, e magnificata.

Si poſt hæc petas judicium Authoris *de la Bibliotheque raiſonnée* ſuper bino opere P. Carmelitæ & P. Auguſtiniani; ecce illud ex *cit. Tom. XVIII. pag. 5. ſeqq.* „ Un Carme
„ & un Auguſtin, nommés l'un le Père *Honoré*, & l'autre
„ le P. *Houſta*, ſe ſont depuis peu déchainés, avec le dernier
„ emportement, contre les *Diſcours* & l'*Hiſtoire Eccléſiaſtique*
„ de Mr. l'Abbé Fleury, en deux Ouvrages qui ont paru
„ ſucceſſivement . . . . L'Auteur, inſulté par les deux Moi-
„ nes *Flamands*, ne pouvoit donc manquer de bons Avocats
„ parmi les *François*. Il en a même trouvé un, comme
„ l'on voit, parmi les *Lorrains* (*l'Auteur de la Juſtification*)
„ dont la plume, adroite & ſavante, donne un très grand
„ avantage à une cauſe, qui en elle-même eſt certainement
„ la plus juſte, & la plus éclairée . . . . . Dein *pag.* 9. Il
„ me ſemble que les deux Antagoniſtes de l'Hiſtorien Fran-
„ çois n'ont pas tant de tort que l'Anonyme voudroit le
„ perſuader. Ils meritent plus de pitié que de blâme. Ils
„ plaident pour une mauvaiſe Cauſe; & c'eſt en quoi je les
„ trouve à blâmer; mais enfin cette Cauſe eſt celle de leur
„ Religion &c. „ Hæc & ſimilia me moverunt, ut binos hos viros Religioſos dicerem *Scriptores ineptiſſimos*.

VII. Hæc hactenus de Quatuor-viris, quorum luminibus ſe profeciſſe, imò & doctrinis ſuperædificâſſe Febronius agnoſcit. Quisquis his laudem *ſolidæ pietatis*, *orthodoxiæ* & *eminentis ſcientiæ* negare præſumpſerit, ei in faciem dici poteſt, quòd vel non ſit geminè eruditus, vel quòd malis affectibus regatur. Interim non his ſolùm fulcris nititur Febroniana moles; aliorum etiam graviſſimorum Scriptorum operibus uſus eſt Auctor noſter, licèt non adeo frequenter. Cùm autem Antifebroniani, maximè P. Zaccaria, horum etiam auctoritatem labefactare conati ſint; ſic præter ea, quæ de his jam antè ſat copioſè dicta ſunt, nonnulla hìc refricanda veniunt, præſertim in gratiam P. Zaccariæ, qui in ſuo *Antife-*

tiſebronio vindicato pauca adhuc ad fallendum ignaros, & ne ceſſiſſe videretur, in medium proferenda putavit.

Cùm Febronius *Tom. II. pag.* 23. occaſione abuſuum, qui in Romana Congregatione Indicis hodie committuntur, ex Diſſertationibus clar. BARTHELII Univerſitatis Wirceburgenſis Procancellarii dixiſſet, in Romana Librorum Cenſura *diſcernendam eſſe vocem Paſtoris & Servi Servorum Dei à voce Deſpotæ & Domini Dominantium*, clamat Zaccaria Tom. I. pag. 23. *Febronium perditiſſimos homines ſequi: ſe in his audire Quenellum.* Quenellum tu audis in Barthelio, Schismaticum in apprimè Catholico, perditiſſimum hominem in viro, cujus memoriam Germania docta ſemper venerabitur? His retibus ne primi quidem anni Decretiſtas germanos Jeſuita capies. Tota Appendix prima *Tomi I. Febr.* Bartheliana eſt, neque ea ſibi quidquam timet à vanis inſultibus talium hominum. Proſtat *Tom. I. Febr. Cap. VI.* §. 12. extractus ſat longus ex FRANCISCI VARGAS Commentario: *Quis ordo deceat in Conciliis, & quænam ibidem ſint Legatorum officia.* Eo autem fine ille producebatur, ut ex eo appareret, quàm deſpoticè, ne dicam ſubdolè, in Tridentina Synodo Legati Pontificii egerint ad impediendam juſtam reformationem; id quod pluribus deinde confirmatum fuit *Tom III. Febr. pag.* 122. *ſeqq.* Epiſtolam Vargaſii eidem extractui conſonam ex ipſa Synodo ad Caroli V. Adminiſtrum ſcriptam, eodem *Tom. I. Febr. Cap. VI.* §. 15. *n.* 7. editam, attentâ dictâ conſonantiâ, directè impugnare non auſus P. Zaccaria, *pag.* 171. dicit, eum talia ſcripſiſſe ex impotentis animi motu, & propter ſimultates, quas cum Legato *Creſcentio* habuit. Verùm deferbuerat à multo tempore prætenſa hæc ira, quando laudatum Commentarium Vargaſius in Hiſpaniam reverſus conſcripſit. Ut tamen ille Vargaſium Febronio qua demum cunque viâ ſubtrahat, à *pag.* 172. *ad pag.* 176. nonnulla loca ex ejus Reſponſo *de Epiſcoporum juriſdictione & Pontificis max. auctoritate* (quo Scripto illum ſe Pio IV., non ſine intuitu proprii ſui commodi, commendaſſe diſcimus ex Palavicino *Lib. XXI.*

 Cap.

Digitized by Google

Cap. 11. *n.* 3.) decerpſit, quibus pateſcat, eundem circa quæſtionem de Monarchico Eccleſiæ ſtatu hujúsque effectibus ſentire cum Romanis adversùs Febronium. Verùm quo magis ille, dum *de jure* agit, ſeſe pro Romanorum partibus declarat, eò minùs diffidimus ſinceritati & veritati eorum, quæ *circa facta* Tridentini (licèt fortè Romanæ Curiæ parum placentia) cordatè refert, ſive in memorata Epiſtola, ſive in concordante ei dicto Commentario.

Opera ZEGERI VAN ESPEN cujus perſona in Antifebronio Vindicato *Tom. II. pag.* 448. ex ignoto, multis falſis referto ſchediasmate, quod ex Vita hujus viri clariſſimi anno 1767. Lovanii edita emendari mereretur dirè proſcinditur, ſat defenſa ſunt *Tom. II. Febr. pag.* 234. nec non *Tom. III. p.* 248. Ex his locis apparet 1.), qualiter Papa Benedictus XIV., tunc adhuc Bononienſis Archiepiſcopus, occaſione Romanæ Cenſuræ Librorum *Espenii* ſat apertè declaraverit, hanc cenſuram parvi faciendam eſſe. 2.) Quòd Imperator Carolus VI. eadem cenſurâ & prohibitione inattentâ, non ſolùm permiſerit ejus Opera in Germania imprimi, ſed & eum in finem ſuum auguſtale diploma Colonienſi Typographo largitus ſit. 3.) Quòd Colonienſis Librorum Cenſor D. Godefridus Kauffmans (unus ex ſociis Antifebronianis, & ille quidem, quem P. Zaccaria præ cæteris commendat) uti & alii ante ipſum Colonienſes Librorum Cenſores ordinarii, tum ante tum poſt Romanam Espinianorum Operum proſcriptionem, annis ſcilicet 1702. 1708. 1729. & 1755. eadem probaverint. Concludet inde prudens Lector, quòd intuitu Romanæ damnationis doctiſſimarum lucubrationum celeberrimi Canoniſtæ Lovanienſis non debuerit Febronius ab earum prudente uſu abſtinere: Concludet inſuper, quanti fiant in Germania, uti & alibi extra Italiam, Decreta Romanæ Congregationis, dum ea nituntur principiis Curiæ, quæ non admittuntur ab omnibus Nationibus & Eccleſiis. Illud hic quoque pro riſu addendum, à ſevero Cenſore Italo noſtro *cit. pag.* 448. improbari, quòd Doctor Van Espen titulo *Clariſſimi* à nobis hone-

honeſtetur; ſicut & *Tomo I. pag.* 162. cum ſtomacho viderat Natalem Alexandrum Sorbonæ Doctorem vocari *Eximium.*

VIII. Docueram *Tom. II. Febr. pag.* 347. *ſeqq.* Monarchicam ſummi Pontificis poteſtatem, qualis Romæ traditur, bellorum & publicorum tumultuum cauſam eſſe & occaſionem. Cùm eæ res *facti* ſint, opus utique fuit ad propoſitum thema probandum monumentis & ſcriptis hiſtoricis. His fideliter uſus ſum per ſeriem temporum, inde à *Leone PP. IX*, ad *Leonem X.* id eſt ab anno 1049. ad annum 1513. non alia proferendo quàm coæva. Verùm intercedit P. Zaccaria *Tom. I. pag.* 393. ſcribens, *indignum homine Catholico eſſe, ea ex omni ſcriptorum fæce ſtudioſè corradere, quæ ſedem Apoſtolicam lædunt, ac dedecore afficiunt.* Paulò antè, nempe pag. 186. dixerat: *Horret animus, Catholicum Scriptorem ea nefario auſu potuiſſe non ſolùm ex octo ſæculorum hiſtoriis decerpere, ſed aterrimis depicta coloribus exhibere, quæ ad invidiam Romani Pontificatus, infamiamque pertinere Proteſtantium perditiſſimi cenſuerunt.* Demum addit pag. 391. *Ea plerumque ex auctoribus hauſta Romano Pontifici perquam infenſis, cujusmodi Matthæus Pariſius, & Schiſmatici quidam Scriptores fuere, ac nullius propterea auctoritatis.* Quanta in his mendacia! Percurramus ſingulos Pontifices, de quibus eâ occaſione actum eſt *à pag.* 352. *ad pag.* 366. & ponderemus documenta, queis uſi fuimus ad probandum ea, quæ probanda ſuſcepimus. Pro *Leone IX.* uſi ſumus Gaufredo Malaterra, Eadmero, & Monachis Congregationis S. Mauri in Hiſtoria Litteraria Galliæ: pro *Gregorio VII.* ipſiúſmet hujus Pontificis Epiſtolis & Ottone Friſingenſi: pro *Paſchali II.* Hermanno Abbate monaſterii S. Martini Tornacenſis: pro *Innocentio III.* ejusdémmet Decretali: pro *Gregorio IX.* Conrado Urſpergenſi: pro *Innocentio IV.* propriis ejusdem Epiſtolis: pro *Alexandro IV.* & *Clemente IV.* ſimiliter: pro *Bonifacio VIII.* præter ejusdem Decretales, Ficurio, Natali Alexandro, P. Daniel S. J. & PP. Jeſuitis Scriptoribus Hiſtoriæ Eccleſiæ Gallicanæ: pro *Joanne XXII.* ſuiſmet itidem Decretalibus: pro *Clemente VI.*

VI. præter proprium illius diploma, Joanne Trithemio: pro *Eugenio IV.* Ænea Sylvio, Gobelino, Trithemio: denique pro *Julio II.* Guicciardino, Annalibus Rainaldi & Spondani. Hos tu *Scriptorum fæcem* nominas? Hos ad Pontificatûs Romani invidam ſcripſiſſe aſſeris? Hos Pontificibus perquam infenſos & ſchismaticos prædicas, proinde nullius auctoritatis? Ubi inter hos *Matthæus* tuus *Pariſius?* Talia mendacia juvant ad fallendos paucos, certè non multos Lectores. Interim, ait P. Zaccaria, etiam Hæretici talia ſcribunt. Hoc verum eſt; ſiquidem non potuerint illa non videre in coævis monumentis & Catholicis Scriptoribus. Inſtat iterum Jeſuita *pag.* 396 dicens, non ſolos Pontifices, ſed ipſa etiam Concilia generalia, Lateranenſe III. Lateranenſe IV. & Conſtantienſe tanquam rem omnino certam ſumpſiſſe ac poſuiſſe indirectam Eccleſiæ, atque adeo Romani Pontificis poteſtatem in temporalia Regum & Principum. Hæc imprimis negat Ill. Boſſuetus *Defens. Declar. Cleri Gall. Lib. VIII. Cap.* 1. 3. & 10. Eſto tamen; non eò minùs verum manet, communem hunc de tanta ſummi Pontificis poteſtate errorem, hodie omni jure à Gallis, Germanis aliiſque abjectum, memoratis bellis anſam & nutrimentum dediſſe. Hoc ſanè pulcherrimum, quod in fine *pag.* 402. ex Thomaſii Lutherani *Hiſtoria Content. inter Imp. & Sac. Cap. IV.* §. 25. adfert Zaccaria, ſcilicet: „Papatûs Politici & Controverſiæ inter Imperium & Sacerdotium, ſeu „ de terminis juris circa ſacra, eſſentialem conceptum non in „ eo conſiſtere, quòd Papa dominatum in Clerum & Laicos „ quæſierit & exercuerit; ſed quod Clerus pedetentim eripuerit ſummam poteſtatem, adeóque Principibus nihil pro„ deſſe, ſi, rejecto imperio Papæ monarchico, tamen maneant „ ſub jugo Cleri Ariſtocratico.„ Videat quisque, quomodo hæc „ applicari poſſint bellis, non ab Epiſcopis propter ſuam, ſed „ à Romanis propter exceſſivam Papæ auctoritatem motis & „ nutritis: Poſſunt tamen in ſenſu Lutherano, paulò pòſt à Thomaſio expreſſo, ſcilicet: *Si Epiſcopalis Hierarchia non fuiſſet introducta, nullam habuiſſet occaſionem Pontifex, Ariſtocraticum*

ticum Epiſcoporum imperium mutandi in Monarchicum. Hæc hactenus occaſione ſcriptorum, quorum in Febronianis operibus mentio fit, & uſus factus eſt.

IX. Aliorum graviſſimorum Auctorum, quorum ingens numerus Febroniano Operi materiam ſuppeditavit, quique extra omnem jactum teli Antifebronianorum Scriptorum ſunt, hic ſingillatim meminiſſe ſuperfluum foret. Unum tamen ex præcipuis non prætermittam penitùs, Divum BERNARDUM puto, de quo vid. *Tom. III. Febr. pag.* 242. *ſeq.* Aſt magna, inquit P. Zaccaria *Tom. I. Antifeb. vindic. pag.* 120. eſt differentia inter Mellifluum hunc Doctorem & Febronium: Ille præceptum Evangelicæ correctionis ſervans, Eugenium Papam per ſuos de Conſideratione Libros *privatim* convenit, ſuavitérque monuit: Hic libris aſpero ſtylo exaratis, & *totâ Europâ vulgatis*, Papam apud malè ſentientes diffamat. Hæc culpa (ſi tamen culpa eſt) ferit omnes Editores Operum S. Bernardi, Merlono-Horſtium, Mabillonium, viros piiſſimos & doctiſſimos, imò ipſum Papam Clementem XI. Interim cùm *Bernardus* & plures poſt eum, ſignanter *Durandus* Mimatenſis Epiſcopus, Cardinales, *Contarenus*, *Sadoletus*, *Polus*, & tot alii, Pontifices ex prima, imò & ex ſecunda, Evangelii atque caritatis regula privatim ac ſtudiosè, attamen ſine optato fructu monuerint; nemo dubitabit, quin actu ſimus, & à multo jam tempore fuerimus in tertia Evangelici præcepti periodo: *Dic Eccleſiæ.* Fuere autem, poſt tot tantáſque infructuoſas dilationes ii, ad quos hæc pertinent, quodammodo duriùs conveniendi, propter aliud Evangelii mandatum, illud nempe: *Inſta opportunè, importunè: argue, obſecra, increpa in omni patientia, & doctrina.*

X. Quæ hactenus de merito & fide Auctorum, queis Febronius ceu Magiſtris uſus eſt, retulimus, ea illi non profuerunt, quo minus ejus opera *Romæ* configerentur. Quærit ille ſolatium in propitia Cenſura *Viennenſi*. At reponit Zaccaria *cit. Tom. I. pag.* 21. „ Majore igitur prudentiâ atque „ æquitate actum, *Febronio* magiſtro, ab iis Cenſoribus (Viennenſi-

„ nenſibus) quàm à Romano Pontifice? cui tamen uni di-
„ ctum à Chriſto fuit: *paſce oves meas*, *paſce agnos meos*. „ Dixit ſanè Chriſtus in Petro ſummo Pontifici, *Paſce oves meas*; ſed non dixit ei, *Tonde oves meas*. Tondere autem Chriſti (non ſuas) oves cenſendus eſt, cum aliena, id eſt ea quæ *Tom. II. Febr.* 32. 33. 94. 99. 104. *ſeq.* 108. *ſeq.* 117. 119. 125. 128. *&c.* memoravimus, ſibi appropriat. Tondere eas cenſendus eſt, cùm Libros, qui de hac illegali tonſura tractant eámque impedire laborant, oculis fidelium ſubtrahere nititur. Propter has ſimiléſque cauſas, ego, hæc ſtudia humano modo conſiderans, non dubito in hoc Scriptorum genere, majorem æquitatem Vindobonenſi Cenſuræ tribuere quàm Romanæ. Quanquam fateor, Febronium non ſcripſiſſe pro rudi populo, ſed pro eruditioribus, pro aulis Principum, pro Epiſcopis &c. Clamet adversùm iſta noſter Lojolæ filius *l. cit. pag.* 22.* has eſſe ſchismaticas *Quesnelli* (quem, ut ſuis adverſariis odia illi concitent, opportunè & importunè in ore habent) in Apoſtolicam Sedem obtrectationes; non capient his retibus prudentes, qui nôrunt diſtinguere inter res *Fidei* & *Diſciplinæ*, inter *divina* & *humana*, inter *politica* & *ſacra*.

Eà occaſione, & nonnunquam aliàs, P. Zaccaria multùm invehit in Febronianam diſtinctionem inter *Sedem* & *Curiam* Romanam, inter *Sedem* & *Sedentem*. Etenim, ait ille pag. 121. *nihili eſt ejusmodi excuſatio*, *niſi novum criminis & in Romanam Sedem irreverentiæ genus potiùs ſit appellanda*. Suam eà de re ſententiam pòſt diſtinctiùs explicat *pag.* 130. ita diſſerens: „ Quum de Pontificis Primatu agimus (quod dili-
„ genter animadvertendum eſt) non quæ *facti* ſunt, ac par-
„ ticularia judicia, ſed quæ *juris* ſunt, atque ad univerſalem
„ pertinent Eccleſiæ ſtatum, quemadmodum dogmatum defi-
„ nitiones ſunt, legum latio, Canonum defenſio, violatorum
„ Eccleſiæ jurium vindicatio, idque genus alia, in conſidera-
„ tionem cadunt. In his autem dicimus nihil *unquam* à ſum-
„ mis Pontificibus metuendum, quod aut Catholicis doctrinis
„ adverſetur, aut Eccleſiæ tranquillitatem perturbet. Hoc *Febro-*

„ *Febronius* ſi ob oculos, uti decuit, ſemper habuiſſet, quan-
„ tum inanium declamationum magno laboris compendio
„ compreſſiſſet!

Examinemus propius virum Dictatorem & ejus diſcurſum, aparebit illicò utriusque inanitas. Primum, quod ejus reclamationi adversùs noſtram multorúmque diſtinctionem inter *Sedem* & *Curiam* locum atque occaſionem dedit, fuit Romana cenſura *Libri Febroniani.* Hæc ſine dubio judicium eſt circa *factum particulare*, conſequenter, ipſo fatente adverſario, capax dictæ diſtinctionis. Si autem (quod non puto) eſt judicium *juris*, videt adverſarius ex facto Aulæ Viennenſis & tot aliarum Nationum, ab his etiam Romana *juris judicia* cautè examinari, & pro re natâ ſeponi. Poſt hæc (ut in recentioribus hactenus ſiſtamus; antiquiora inveniens *Tomo I. p.* 716. 717. 729. 742. *Tom. II. p.* 337. 400. 578. 584. *Tom. III. p.* 232. 237.) quæro, an Breve illud Apoſtolicum ſub rubrica: *Sanctiſſimi Domini noſtri Clementis Papæ XIII. Litteræ in forma Brevis, quibus abrogantur & caſſantur, ac nulla & irrita declarantur nonnulla Edicta in Ducatu Parmenſi & Placentino edita, libertati, immunitati, & jurisdictioni Eccleſiaſticæ præjudicialia, Romæ MDCCLXVIII. ex Typographia reverendæ Cameræ Apoſtolicæ;* an inquam hoc Breve non pertineat ad illorum claſſem, *quibus violata Eccleſiæ jura vindicantur?* At illud omnes Reges Bourbonicæ familiæ conſiderârunt veluti partum violentum Curialiſtarum Clementis Papæ. Rex Galliæ in ſuis ad eundem litteris ait: *des conſeils trop violens & peu éclairés ont malheureuſement prévalu ſur les ſentiments modérés & pacifiques de Votre Sainteté.* Idem Rex ad ſuos in diverſis Principum aulis Miniſtros eâdem occaſione ſcripſit: *Les Clefs de St. Pierre ſont entre les mains d'un Prince pieux, mais ſans lumieres & ſans vigueur, qui ſe laiſſe gouverner par un Neveu encore moins éclairé, & plus foible que lui, & par un Miniſtre altier & opiniatre, imbû de tous les préjugés fanatiques du deſpotiſme Papal, & qui ne reſpecte rien, quand il s'agit des pretendus droits du ſaint Siege.* Epiſtola

Regis Hiſpaniæ ad Pontificem eâ de re ſic ſonat: *Des ſuggeſtions malignes & violentes ont triomphé. Ils ſont venus à bout de leurs deſſeins, ces hommes qui ſont les ennemis de la paix, les perturbateurs de l'univers.* Denique illa Regis utriusque Siciliæ: *Plût à Dieu que les Conſeillers & Miniſtres de votre Sainteté ne donnaſſent point aux Peuples ces motifs de ſcandale, qu'Elle attribue à mes Magiſtrats & aux perſonnes éclairées & pieuſes qui ont propoſé & agi en cette occaſion!* Hæc omnia proſtant *Tom. II. Febr. pag.* 532. 453. 456. 458. Vis plura? lege & pondera Epiſtolam Regis Luſitaniæ de 5. Decemb. 1767. ad eundem Papam Clementem *ibid. pag.* 580. quæ novennalem rupturam inter Romam & Luſitaniam comitem habuit. Opta nunc, P. Zaccaria, an ea, quæ jam retulimus, velis facta & decreta *Curiæ*, an *Papæ*? Si hujus: ergo ſaltem in opinione & ſenſu omnium Catholicorum Potentatum Europæ falſum eſt quod dicis, *nihil unquam eorum*, *quæ pertinent ad violatorum Eccleſiæ vindicationem à ſummis Pontificibus metuendum quod Eccleſiæ tranquillitatem perturbet*: Si illius: ergo juſta eſt diſtinctio inter *Sedem* & *Curiam*; quam etiam in prememorata Epiſtola Luſitaniæ Monarcha manifeſto exprimit. Quod ſi (ut omnem tibi ad evadendum viam præcludam) fortè prætendas, binas illas famoſas cauſas, Parmenſem & Luſitanam, quæ Apoſtolicæ *Sedi*, ſeu ſi mavis, *Curiæ*, tanti ſteterunt, & *Romanam* Eccleſiam ſummopere turbârunt, *ad particularia Pontificis judicia pertinere*; ergo in his & aliis multò inferioribus quotidie obvenientibus cauſis ac Pontificum judiciis eò frequentior erit uſus noſtræ diſtinctionis.

Ut jam ab his revertamur ad illud, à quo parva hæc diſcuſſio cœpit, nempe ad Romanam Cenſuram Febronii, nónne potuit Nationibus huic Auctori magis faventibus, Auſtriæ, Venetiæ &c. optimo jure videri, quod in prædallegato reſcripto viſum fuit Galliarum Monarchæ, *d'un Miniſtre* (pone Congregationem Indicis) *imbû de tous les prejugés fanatiques d'un deſpotiſme Papal.* Ceſſet igitur Jeſuita mirari, & indignari Canoniſtarum Germaniæ principi *Barthelio*, dum ſuprà

ſuprà *num.* 7. rectè dixit, *diſcernendam eſſe vocem Paſtoris & Servi Servorum Dei, à voce Deſpotæ, & Domini Dominantium:* Ceſſet urgere (quod facit *pag.* 136. *ſeq.*) juridicam inſeparabilitatem *Sedentis* ſeu *Præſidentis à Sede.* Si enim, uti *ibid.* ex Ballerinio memorat, & aliunde omnibus notum eſt, *Summi Pontifices quoad eos actus, in quibus ex obreptione, ſive ex ſubreptione,* SIVE OPINIONUM PRÆJUDICIO, *aut vitio aliquo in Apoſtolicæ auctoritatis uſu errarent, uti* MULTIS IN CAPITIBUS *eos poſſe errare negari non poteſt;* Licebit omnibus his caſibus, præſertim ſi cum læſione juris tertii conjuncti ſint, Regibus ac Principibus, & ſub horum protectione eorundem ſubditis, intactis ſummæ *Sedis* juribus, adversùs *Sedentem* ejúſque judicia uti mediis, quæ jure Canonum, ſubinde etiam jure Civili ac Gentium, vel uſu Eccleſiæ probantur. Si hæc Patri Zaccariæ non ſapiunt, faciat ille (uti ſæpe alibi) de toto hoc negotio *quæſtionem de nomine.*

CAPUT II.

Univerſum Febronii Syſtema P. Zaccaria maximâ infidelitate proponit.

I.

Primo jam Capite mala Jeſuitæ fides apparuit, præſenti eam videbimus pejorem. Deſtinavit ille expoſitioni Febroniani Syſtematis ſuæ Diſſertationis primæ Caput ſecundum; & ut ſuis Lectoribus eò ſecuriùs imponat, dicit in fine: *Hæc ſumma Febroniani ſyſtematis. Ipſiſſima Auctoris verba recitavimus, ne quis falſos à nobis illi errores tribui queratur.* Si verba Auctoris truncare; ea in ſenſum contrarium illi, in quem Auctor apertè intendit, detorquere; ſubſtantialia ſtudio prætermittere; cohærentia disjungere; disjuncta & diſparata adunare, non eſt falſa illi tribuere, verum dixit ille: ſi autem omnium harum prævaricationum reus eſt, boni viri nomen

minimè tuebitur. Diſpartit ille doctrinas Febronii in eas quæ ad ſtatum Eccleſiæ, & in illas quæ ad Romani Pontificis Primatum pertinent. Hactenus rectè.

II. Ac *de Statu* quidem *Eccleſiæ* in primo ſui operis volumine *Cap. II. §. 12. n. 6.* repetierat Febronius hæc Pufendorfii verba: *Abſurdæ ſunt quæſtiones, monarchica, ariſtocratica, an democratica forma competat Eccleſiæ? Hæ quippe formæ cadunt* IN STATUM ALIQUEM SEU CIVITATEM: *Eccleſia autem Status non eſt.* Hæc Theologico magis quam Juridico oculo intuens Jeſuita, italici ſui Antifebronii *Tomo I. à pag. 3. ad 12.* magno ingenii & temporis diſpendio probare ſuſcipit, Eccleſiam non nudum eſſe *Collegium*, ſed *Statum.* Quum verò deinde ſequentia *Tomo II. Febr. pag. 381.* legiſſet: „ ſe (*Febronium*) cum Samuele Pufendorfio, adfirmâſſe, nullam ex tribus formis Ariſtotelicis, monarchicam, ariſtocraticam, & democraticam, convenire *ſtatui Eccleſiæ*, neque huic per rerum naturam poſſe applicari: ſiquidem hæ formæ ſolùm cadant in Statum *civilem* ſeu *politicum*, qualis non eſt Eccleſia: „ ille Antifebronii Vindicati Tom. I. p. 58. *callidè*, inquit, *Febronius diſſimulat, ſe, quæ ſtatum non eſſe Eccleſiam commonſtrant, adprobâſſe.* Et deinde pag. ſeq. *ad ſtatum civilem ea nunc contrahi, quæ generatim de ſtatu dicta priùs fuerant, ac porro ab eo dici debuerunt, qui Pufendorfii ſententiam amplectebatur.* OMNEM *ab Eccleſia* STATUS RATIONEM *adjudicantis, unámque illi* COLLEGII *formam tribuentis.* Eccur Zaccaria in Febronio hic vel invenit vel fingit mutationem ſeu receſſum ab eo, quod Tomo primo ſtatuerat? Fatetur id ipſe ſeq. pag. 59. *ne ſcilicet oleum & operam perdidiſſe* judicaretur, *qui, quod ille non negâſſet, Capite primo Diſſertationis primæ inutili labore efficere conatus ſit,* ECCLESIAM ESSE STATUM. Dixi Jeſuitam vel finxiſſe, vel imprudenter putâſſe, in noſtro Auctore variationem. Sanè in utroque ille Tomo locutus eſt de *Statu civili*, cujus conſequenter ideam & huic quodammodo proprias formas Ariſtotelicas ab Eccleſia excluſit. Dixerat etenim verbis Pufendorfii,

ſi, *has formas cadere in* STATUM ALIQUEM SEU CIVITATEM: *Eccleſia autem Status non eſt.* Quid per verbum *Statûs* Puſendorfius hoc loco intellexerit, ſatis explicat per verbum *Civitas*: Status, inquit, *ſeu* Civitas; *Civitas* autem *civilem Statum* ſeu Remp. propriè ſignificat. Neque obſtat, quòd S. Auguſtinus Eccleſiam *Civitatem Dei* nuncupaverit; id enim non in proprietate verbi, ſed comparativè dictum, nemo ambigit. Eccleſia eſt ſocietas hominum per Baptiſmum in Chriſto eum in finem unitorum, ut ſecundùm normam in Evangelio præſcriptam verum Deum colant, & æternam ſalutem conſequantur. Eſt ſocietas *inæqualis*, in quâ ſunt, qui imperium ſacrum exercent; alii, quorum omnis ſita eſt in obediendo gloria, attamen ſimul cum illis corpus unum myſticum ſeu morale conſtituentes. De hac *ſacræ* ſocietatis, ab omni *civili* toto cœlo diſtantis, *inæqualitate*; de his, qui in ea *regunt*, & qui *reguntur*, de Summo Pontifice, de Epiſcopis & Archiepiſcopis, de ſimplicibus Presbyteris, de Regularibus, de laicis tam Principibus quam ſubditis, de Conciliis generalibus & particularibus, de ſingulorum juribus & officiis, univerſum Opus Febronianum à capite ad calcem plenum eſt. Ut quid ergo vanus ille homo, ſolùm ne erràſſe videatur, tam in primo quàm in ſecundo ſuo Opere Lectores fatigat, pluribus foliis diſputando, *Eccleſiam Statum eſſe*, quod à Febronio *ſimpliciter* negari falſiſſimè aſſerit, quandoquidem ille *civile* ſolùm *Imperium* unà cum *civili Statu*, & formam utriusque horum, ab ea excludat. Si gratiam facimus homini illi, dicemus, eum hic, uti frequenter alibi, de ſolo nomine diſputare. Adde *Tom. II. Febr. pag.* 381.

De falſis Patris Zaccariæ circa *Statum Eccleſiæ* plura recurrent Capite ſequenti & deinceps; nunc de illis agemus, quæ ad *Primatum Rom. Pontificis pertinent.*

III. *Ajo itaque, Romani Pontificis auctoritatem eam à Febronio admitti, quæ tandem non niſi directionis ſit*; ſunt verba Antifebronii Vindicati Tom. I. p. 75. Siccine *non niſi directionis* Primatum Febronius Rom. Pontifici tribuit, quando

Tom.

Tomo I. Cap. 2. §. 4. *n.* 2. expreſſis verbis tradit: „ Verùm „ inter hos *nudi directorii* fines jura Primatûs non ſubſiſtunt; „ exigit amplius aliquid conſervatio Unitatis in Eccleſiâ, non „ ſemper in Conciliis congregata, quam pro fundamento & „ principio Primatûs ponimus;„ quando eod. Cap. II. §. 12. n. 4. poſtquam antè plura ex ſingularibus Primatûs juribus enuntiâſſet, ita concludit: „ Finaliter Syſtema noſtrum, ab „ Eccleſia agnitum, tot ſæculis ſanctè ſervatum, nec ulli ſæ- „ cularium Poteſtatum præjudicium aut inquietudinem gene- „ rans: Syſtema, in quo omnes hæreſes feliciter ſuppreſſæ „ ac ſublatæ, leges diſciplinares incomparabiliter melius ſer- „ vatæ ſunt, ad hæc Capita reducitur: Incumbit Petri ſucceſ- „ ſori ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Ideo ex omnibus pro- „ vinciis ad eum referenda ſunt, quæ ad communem Eccle- „ ſiæ ſtatum pertinent. Ad ipſum tanquam ad Centrum om- „ nia concurrunt, quo ſervetur unitas fidei, puritas morum, „ Hierarchia eccleſiaſtica, ritus ſubſtantiales Sacramentorum „ &c. Ad eum pertinet cura & defenſio Canonum à gene- „ ralibus Conciliis ſancitorum, aut aliàs ab Eccleſia accepta- „ torum. Hunc in finem inſtruit, hortatur, arguit. Adversùs „ refractarios utitur mediis per Canones præſcriptis. Demum „ ſuam & Eccleſiæ communionem negat &c.„ Anne hæc univerſalem ſummi Pontificis Primatum ad terminos *nudi Directorii* redigunt? Sed de his iterum Differt. II. Cap. 2. n. 10. ubi idem falſum Zaccaria repetit. Interim vide plura de juribus Primatûs *Tom. III. Febr. p.* 34. 326. 341. *ſeqq.*

IV. Nondum deſinit P. Zaccaria falſa falſis cumulare. Pergens *pag.* 78. recenſere ſibi diſplicentes Febronii doctrinas ex hujus Opere hæc refert verba: *Romani Pontificis eſt jus immediatum & univerſale*, VIGILANTIÆ, ADHORTATIONIS, *immò excommunicationis.* Ubi imprimis obſervandum, quod verba *vigilantiæ* & *adhortationis* uncialibus imprimi fecerit, *excommunicationis* autem (quæ tamen in hoc argumento notabilior erat) minoribus litteris. Sed hic minor dolus eſt; hunc illicò major excipit, dum ita pergit: „ Verùm

„ rùm hoc excommunicationis jus quo tandem recidit? Ex „ ipſo Febronio diſcamus: *Papa citra conſenſum Eccleſiæ, ſive „ tacitum, ſive expreſſum, non poteſt ferre legem novam omnes „ Eccleſias obligantem. Legi novæ papali appoſita excommuni„ catio, niſi ab Eccleſiis ſuſtineatur & probetur, robore deſti„ tuitur.* Præclarum ſane auctoritatis genus. Quei ergo Fe„ bronius negabit, UNUM *directionis jus* à ſe tribui Romano „ Pontifici?„ Præclarum ſanè, dico ego, ratiocinii genus, *Ab uno particulari concludere ad univerſale.* Imperator in Imperio non poteſt absque conſenſu Statuum ferre leges, ergo habet nudum jus directionis, bella conſequentia! Febronius *Tom. I. Cap.* 5. §. 2. *Tom. II. pag.* 286. *ſeqq.* 425. *ſeqq.* 531. *Tom. III. pag.* 89. *ſeqq.* 291. ſolidis munitus auctoritatibus, non aliter Pontificiis Conſtitutionibus vim legis attribuit, quàm cùm eæ ab Eccleſiis ſeu Epiſcopis fuerint acceptatæ. Si ergo Pontificiæ Conſtitutioni nondum acceptatæ fuerit annexa pœna excommunicationis, naturale eſt, quòd hæc non liget, ſicuti neque lex ipſa ligat. Vid. *Tom. II. Febr. pag.* 575. Verùm inde nullâ ratione ſequitur, quòd Papa, Executor Canonum, non poſſit, ſervatis à Jure præſcriptis regulis, excommunicare hæreticum, ſchismaticum, aut alium, qui in *Legem Eccleſiæ* cum gravi Scandalo deliquit. Hoc jus Pontifici pluribus locis aſſeruit Febronius *Tom. I. pag.* 145. 170. 300. *ſeq.* 442. *Tom. II. pag.* 573. *ſeqq.* 611. *Tom. III. pag.* 188. *ſeqq.*

CAPUT III.

P. Zaccaria Febronium per ſummam cùm inſcitiam, tum calumniam Richeriſmi reum ſtatuit.

I.

Pergo in recenſendis Jeſuitæ infidelitatibus. Ille *Tom. I. Febr. vindic. pag.* 61. „Claves, ait, Apoſtolorum Collegio „ à Chriſto Domino traditas Febronius diſertè pronuntiat;

Digitized by Google

„ *Diſcipulorum Collegio*, *ſeu univerſitati*, inquit ille *Tom. II.* „ *p.* 87. & alio loco (*ibid. p.* 180.) *omnibus ſimul Apoſtolis*, „ *id eſt*, *univerſæ Eccleſiæ regenti.* . . . . . Hic animadvertendum, Febronium, ut *Richeriſmi* ſibi à Kleinero, atque à „ me objecti notam declinaret, quæ antea de Clavibus *univerſæ* Eccleſiæ, ſeu *Univerſitati fidelium* concreditis apertè „ docuerat, ad Hierarchicum Ordinem ſubdolè tranſtuliſſe.„ Hæc prima Adverſarii fraus. Dixerat Auctor noſter Tom. I. Cap. I. §. 6. p. 32. *clavium poteſtatem Univerſitati Eccleſiæ propriè & ita tranſcriptam eſſe*, *ut illa per ejus Miniſtros*, *pro ſua cujusque portione*, *ac inter hos per ſummum Pontificem*, *exerceatur.* Ab hac doctrina minimè receſſit Tomo II. neque paginâ 87. neque paginâ 180. quas adverſarius, verborum inſidiator, citat. Dum ille ibidem ait, claves à Chriſto *Diſcipulorum Collegio*, *omnibus ſimul Apoſtolis*, *univerſæ Eccleſiæ regenti* datas fuiſſe, id tum eâ ratione dictum voluit, quòd eo tempore, quo claves primùm à Domino tradebantur, univerſa Eccleſia in ejus Apoſtolis & Diſcipulis conſiſteret: tum eo fine, ut non putaretur eas *ſoli Petro* datas fuiſſe: nullatenus autem mens Febronii fuit ab auctoritate & jure clavium excludere *Corpus morale ſeu myſticum Eccleſiæ*, quæ earum exercitium ſuis Miniſtris tribuit.

II. Altera fraus, aut veriùs malitia Jeſuitæ eſt, quòd, cùm Febronius *Tom. I. Cap.* 1. §. 6. probare ſuſcepiſſet, Clavium poteſtatem Univerſitati Eccleſiæ à Chriſto datam eſſe, quæ illam per ſuos Miniſtros exercet, atque inter alia etiam ad id probandum & ampliùs declarandum uſus eſſet teſtimonio *Toſtati* Epiſcopi Abulenſis, nec non *Natalis Alexandri*, P. Zaccaria (ut minùs prudentes ab hac ſententia, tanquam ex venenatis, ùt ille ait, fontibus ſcaturiente, deterreret) ſui Antifebr. Italici *Tom. I. pag.* 43. non vereatur ſcribere, potuiſſe Febronium, niſi eum pudor retinuiſſet, in hanc ſuam ſententiam quoque laudare *Richerium*, *Quenellum*, *Lutherum* & *Calvinum.* Magnifica ſcilicet comparatio ſeu aſſociatio cum Alphonſo Toſtato, quem Bellarminus de Scripto-

ribus

ribus Eccleſiaſticis ad an. 1440. *Virum ſanctitate & doctrinâ celeberrimum* vocat; & cum Natali Alexandro, uno ex celebrioribus Sorbonæ Doctoribus, *de cujus pietate & Catholicæ fidei Zelo, ſe præclarè ſentire* dixit Papa Innocentius XI.

Dixerat porro Febronius *l. cit. p. 32.* hanc ſuam de Clavibus Eccleſiæ ſententiam eſſe communem Theologorum Galliæ. Ut hanc quoque gloriam ei apud incautos adimat, aut hos ſaltem circa id ſuſpenſos habeat, ait, *Antifeb. vindic. Tom. I. p. 62.* ſe, quàm id falſum ſit, opportuniore loco declaraturum. Nobis, antequam ille fidem ſuam hac in parte liberet, liceat ex Natali Alexandro repetere, quod *Tom. I. Feb. p. 39.* ejus verbis jam relatum eſt, ſcilicet: „inconcuſſum manere principium iſtud ex Scriptura ſacra & „ Traditione acceptum, & à S. Auguſtino apertè, frequenter, „ perſeveranter traditum & inculcatum, *Claves* TOTI *Eccleſiæ à Chriſto datas*, immediatè *ipſi* collatam à Sponſo autoritatem ligandi & ſolvendi; poteſtatem juriſdictionis *in tota univerſalitate Eccleſiæ* principaliter reſidere, ùt Scholaſtici „ loquuntur. „ Non dixit Natalis *ſoli* Eccleſiæ *regenti*, ſed *toti Eccleſiæ*; & mox ſubjungit: *Quod unum eſt ex fundamentis ſententiæ, quam Eccleſia Gallicana & ſacra Facultas Pariſienſis propugnant.*

Verum eſt, quòd hæretici ſano hoc principio ſeu fundamento ſubinde in rem ſuam abutantur; ſed nec minùs apertum eſt, quòd iidem plures textus fundamentales ſacræ Scripturæ contra genuinum & catholicum ſenſum ſuæ ſectæ approprient. At ſicut hoc non officit Catholicæ doctrinæ, ita nec illud obeſt, quominus Gallicanæ Eccleſiæ *de Clavibus* ſententia ſit, ùt ait Natalis, conformis *Scripturæ* & *Traditioni.*

III. Pergit in ſuis cavillis Jeſuita, *pag. 63.* ajens, Febronium ſequi Quenelli & Quenellianorum inconſtantiam, qui nunc *Regenti Eccleſiæ*, nunc *Univerſitati credentium* claves creditas fuiſſe aſſerunt. Si in eo conſiſtat maximum Quenelli & diſcipulorum vitium ſive error, abſolvemus eos facilè. Sic eâ de re diſſerit Abulenſis *Tom. I. Febr. Cap. I. §. 6. p. 34.* recitatus:

tus: „ Eccleſia ſuſcipit claves à Chriſto, & Apoſtoli tanquam „ Miniſtri Eccleſiæ, & nunc Eccleſia illas habet, & Prælati „ etiam: ſed aliter Eccleſia, aliter Prælati: nam Eccleſia illas „ habet *ſecundùm originem & virtutem*, Prælati autem habent „ *ſecundum uſum earum*. „ Vides hinc, qua ratione poſſint optimo jure nunc dici datæ claves *Univerſali Eccleſiæ*, nunc Prælatis ſeu *Regenti Eccleſiæ*, ſine minima inconſtantiæ nota.

Poſt hæc ita Jeſuita *pag. 68.* „ Richerius nunquam ne„ gavit, Præſules eſſe Chriſti miniſtros; qui enim Eccleſiæ „ miniſtri ſunt, & Chriſti eſſe debent: hoc ait *Richerius*, „ Epiſcopos cæteróſque ad Hierarchicum ordinem pertinentes „ eſſe proximè miniſtros Eccleſiæ, à qua omnis in illos po„ teſtas trajicitur exercenda. Negabítne hoc *Febronius*? atqui „ hæc *Abulenſis* ſunt ab ipſo & exſcripta & probata. „ Non negabit certè. At ſic Febronius, *velit nolit*, in eodem cum illo verſatus errore, *Richeriſta* erit: Ita ille *pag. 246.* idem iisdem verbis repetit *Tomo II. pag. 105.* non paucis *ibid.* eandem in rem ſubjectis extravagantiis. Scitum hercle hominem! Nónne rectiùs Febronium *Toſtatiſtam* dixiſſet à *Toſtato*, qui hunc prætenſum errorem ducentis ferè annis ante Richerium docuit. Jam antè, ſcilicet *pag. 62.* Jeſuita ſcripſerat: *Febronium* ſenſiſſe cum *Richerio*, tam planum eſt exploratúmque, quàm manifeſtum eſt, *Richerio* præluxiſſe *Abulenſem*. Addit deinde *pag. 253.* „ Licuit forſan antiquioribus Theologis ita „ loqui, qui doctrinæ falſitatem ac pernicioſiſſimas conſecu„ tiones, *Richeriſmo* nondum edito, minùs perſpexerant; at id „ *Febronio* nefas erat. „ Sed quare id licuit, edito jam Richeriſmo, *Natali Alexandro*, & eo teſte toti ſacræ *Facultati Pariſienſi?* Quare licuit *Colleto*, noviſſimo Sorbonæ Theologo, & nihil minùs quàm de Quenelliſmo ſuſpecto, in ſuis Inſtitutionibus Theologicis Tom. II. Tract. de Eccleſia Quæſt. 5. p. m. 569. ſcribere: *S. Petro, tanquam figuram* ECCLESIÆ *gerenti, ac primum inter ceteros Paſtores locum occupanti, claves regni Cœlorum & gerendas oves Chriſtus commiſit; ut ex citatis PP. textibus conſtat.* Quare non ſcripſit, *figuram*

ram PASTORUM *gerenti?* Plura de his infrà Diſſert. II. Cap. 2. n. 4.

IV. Videamus demum, in quo famoſus ille *Richerismus* conſiſtat. Deſcribit eum Zaccaria *pag.* 245. propriis Edmundi Richerii verbis ex eo libro, quem anno 1611. *de Eccleſiaſtica & politica poteſtate* in lucem emiſit, nempe: *Chriſtum ſuam fundando Eccleſiam, priùs, immediatiùs, & eſſentialiùs claves ſeu jurisdictionem* TOTI *dediſſe* Eccleſiæ, *quàm Petro & aliis Apoſtolis. Totam jurisdictionem Eccleſiaſticam primariò, propriè & eſſentialiter Eccleſiæ convenire, Romano autem Pontifici atque aliis Epiſcopis inſtrumentaliter, miniſterialiter, & quoad executionem tantùm, ſicut facultas videndi oculo competit. Chriſtum non tam uni Petro, quàm unitati, infallibilem clavium poteſtatem detuliſſe.* Pergit deinde Jeſuita: „ Liber „ Richerii vix prodierat, quum anno 1612. proſcriptus fuit „ in Conciliis *Senonenſi* atque *Aquenſi*, tanquam qui contine„ ret propoſitiones, expoſitiones & allegationes *falſas*, *erro„ neas*, *ſcandaloſas*, & ùt ſonant, *hæreticas*, *ſchismaticas*: Au„ ctor verò ad palinodiam compulſus eſt. Nihilominus *Du„ pinius* ac *Vaneſpenius*, ùt erant ingenio ad novitates pro„ clivi, animóque in Romanam Sedem infenſiſſimo, eundem „ errorem audacter protulerunt. Etiam *Febronius*, *velit no„ lit*, in eodem verſatus eſt errore. „

Quæ in Richerii libello propoſitiones à Conciliis Senonenſi & Aquenſi (ſi tamen *Concilia* vocari merentur; de quo pluribus egit Adrianus Bailletus in Vita Richerii, & nos paulò inferiùs) tanquam *falſæ*, *erroneæ*, *ſcandaloſæ*, ùt ſonant, *hæreticæ & ſchismaticæ* notatæ fuerint, in actis earundem Synodorum non exprimitur; atque hoc Cenſuræ genus ſanæ doctrinæ nihil afferre lucis, fraudibúſque locum dare, tunc à multis obſervatum fuiſſe, refert Boſſuetus *Lib. X. Cap.* 25. At has propoſitiones Cardinalis Perronius Archiepiſcopus Senonenſis (qui etiam memoratæ Senonenſis Synodi Præſes, & magna hujus tragœdiæ pars fuit) notavit in Epiſtola ad Caſaubonum, quam l. cit. Boſſuetus edidit. Hæ ſunt: *Quòd*

D 3 *Pres-*

Digitized by Google

Preſbyteri cum Epiſcopis, Ariſtocratici regiminis more, in partem Eccleſiaſticæ adminiſtrationis vocentur. Quòd Electiones jure divino nitantur; ex quo conſequatur, à Regibus, qui Antiſtites deſignent, contra jus divinum peccari. Quòd regimen Ariſtocraticum omnium ſit optimum & naturæ convenientiſſimum, in quo directè ſtatus Monarchicus oppugnetur. Quod omnis Principatus à ſubjecti populi conſenſu pendeat. Quod Deus influat in ſuppoſita analogicè, hoc eſt in civitates ac regna, ipsámque communitatem priùs & propiùs ac principalius, quàm in partes, quæ non aliter agant, quàm ùt inſtrumenta eorum ſuppoſitorum & communitatum, quo fiat, ut Principes ac Reges non ipſi regerent, ſed communitas per ipſos tanquam adminiſtros. Ex his ſanè patet, ſatis multa ſuppetiiſſe, quæ Aulam, quæ Clerum, quæ omnes Ordines in Richerium commoverent. At nihil, ſive hic, ſive alibi, de quæſtione, an claves univerſali Eccleſiæ, an Prælatis tantùm creditæ fuerint. Imo obſervat *ibid.* Boſſuetus, neminem eſſe, qui dixerit, *Richerium fuiſſe damnatum, quòd antiquam Facultatis ſententiam* (de ſuperioritate Concilii præ Pontifice) *tueretur*; *quíque eâ causâ maximè inſectabantur eum, alia obtendebant.* Addit mox illuſtriſſimus Meldenſis: *Recordemur Davallium, cùm adversùs Richerium infenſiſſimo animo ſcriberet, hæc diligentiſſimè docuiſſe, juxta ſententiam Academiæ Pariſienſis, Concilii poteſtatem Papali anteferri, infallibilitatem ad Concilium generale ſolùm referri.*

V. Hæc plus quàm ſufficiunt ad depellendas à Gerſone, Toſtato, Natali Alexandro, à Pariſienſi Academia, nova ac veteri, demum à Febronio, nugas *Zaccariani Richeriſmi.* Pauca tamen adhuc addimus de perſona Richerii ejúsque fatis, ex citato Boſſueti Capite XXV. ſcilicet: „ Richerius undique „ magnis hoſtibus premebatur. Magnæ illi, Facultatis ac totius „ Academiæ nomine, cum Jeſuitis ſimultates; magno hominum concurſu ac ſtudio lites agitabantur, pervicerátque „ Richerius, ut Jeſuitæ Senatusconſulto profiteri juberentur, „ ſe amplecti Scholæ Sorbonæ doctrinam, maximè in iis „ quæ ad ſalutem auctoritatémque Regum atque ab antiquo

ſemper

„ ſemper cuſtoditas & obſervatas Eccleſiæ Gallicanæ Liber-
„ tates tuendas pertineret, quarum Libertatum validiſſimum
„ firmamentum majores noſtri in Conciliorum priori ac ſu-
„ periori poteſtate reponebant. Hæc 22. Decembris anno
„ 1611. ab ampliſſimo Ordine juſſa, 22. Februarii à Jeſuitis
„ ſubſcripta in Curiæ auctoritatibus continentur; ſubſcripſere
„ inter alios Viri ornatiſſimi atque omni laude cumulati,
„ Fronto Ducæus & Jacobus Sirmundus, quos honoris cauſa
„ appellatos volo.„

„ Concitabantur interim adversùs Richerium Romana
„ Curia, Aula Regia, ipſa Facultas, ipſe Clerus, Cardinalis
„ Perronius Archiepiſcopus Senonenſis &c.

„ Ex regeſtis Parlamenti conſtat, Nuntii Apoſtolici Au-
„ ditorem, clam conventis Doctoribus, id egiſſe omni ope,
„ ut Liber (Richerii *de Eccleſiaſtica & politica poteſtate*) cen-
„ ſurâ notaretur, improbaretúrque antiquorum Facultatis edi-
„ tio Decretorum, tanquam Richerius ejus injuſſu, præter
„ fas, evulgaverit, aut ſacra Facultas clam habere vellet, quæ
„ à ducentis annis palàm decreta & geſta in Acta retulerit.„

„ Quid poſtea egerit Richerius? quid paſſus ſit Cardina-
„ lis Richelii tempore? quid retractaverit? quid defenderit?
„ quomodo retractationem explicarit? quid denique ſcripſerit?
„ quid teſtamento facto Orbi Chriſtiano teſtatum voluerit? qualia
„ ſint ejus ſcripta poſt mortem publicata? noſtra parvi refert, qui
„ Sacræ Facultatis atque Eccleſiæ Gallicanæ, non unius privati ho-
„ minis, cauſam agimus.„

„ Hoc certè non diffitemur, cùm plerique Richerium
„ peſſimè haberent, quòd antiqua Decreta coleret, multos eo
„ exemplo fuiſſe deterritos, ne ea apertè tuerentur. Sed nos
„ aulicis artibus geſta nihil moramur, Sacræ Facultatis geſta
„ referimus.

VI. Verùm inſiſtamus paulò amplius huic Tragœdiæ, ad-
diſtinctiùs noſcendum, quàm factiosè adversùs Richerium ejúſ-
que Libellum conſpiratum fuerit, tum ex parte Epiſcoporum,
tum ex parte ipſorúmmet Academicorum, tum ab aliis, quos
jam

jam nominavimus, & poſtea iterum nominaturi ſumus. Præſtabimus hoc imprimis verbis Viri eruditi & veracis, qui Defenſioni Ill. Boſſueti in editione Lucanenſi anni 1766. Notas adjecit. Is ad Libri VI. Caput 25. hæc addit: „ Riche-
„ rius in ſua Defenſione Lib. I. Cap. 2. pag. 37. multùm
„ queritur, ſe à Perronio malignè & calumnioſè impetitum
„ apud Reginam, Magnates & Epiſcopos. E. G. dixerat
„ Perronius Cancellario, Richerium tantumdem de ſtatu Ma-
„ trimonii Reginæ ejusque liberorum, quantum de Pontificis
„ auctoritate, qui primum Regis Matrimonium diremerat,
„ dubitare ----- Qua ex calumnia deliberatum eſt de Riche-
„ rio compingendo in Baliſticam Pariſienſem: „ Rurſus in illum locum Appendicis Boſſuetanæ Lib. II. Cap. 11. ubi Boſſuetus ſcribit, *Duvallius Richerii vehementiſſimus inſectator*, hæc addit Scholiaſtes: „ Et antiquæ Sorbonæ hoſtis infenſiſſimus
„ Duvallius totus in eo eſt, ut fraudibus & fallaciis Riche-
„ rium & Vigorium adoriatur. Sed tam temerarius quàm
„ acerbus accuſator tot probra jacit, tot miſcet falſa veris,
„ tot dicit denique, quæ veriſſima non ſint, ut ſibi ipſe de-
„ trahat fidem &c. „ Demum in Notis ad illum locum ejusdem Appendicis Lib. III. Cap. 1. ubi Boſſuetus ex perſona adverſariorum ait: *At Richerius hanc Monarchiam odit*, ita differit idem Notator: „Hoc quidem eſt falſiſſimum, & à
„ Richerii adverſariis calumnioſè dictum. Nam Richerius
„ numquam in ea re vel tantiſper diſſenſit à doctrina Majo-
„ rum Scholæ Pariſienſis, atque adeo Gerſonis, qui tradi-
„ derunt, ſtatum Monarchicum Eccleſiæ regimine Ariſtocratico
„ & Democratico temperari: quod etiam firmis rationibus
„ comprobavit Petrus Alliacenſis ----- Quisquis attentè le-
„ gerit hujus Doctoris (*Richerii*) defenſiones, virum hunc
„ cognoſcet cùm priſcæ doctrinæ retinentiſſimum, tum diſſe-
„ rendi induſtriâ omnibus Theologis utiliſſimum.

In recenſenda iniquitate Cenſuræ in Richerium ejúsque Librum latæ adhuc curatior eſt nuperus Fleurii Notator ad ejus Diſſertationem de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ, dum

pag.

Digitized by Google

pag. 119. hæc memorat: „Simplex expoſitio eorum, quæ in Gallia
„ facta ſunt adversùs Richerii Librum, ſatis eſt ad demonſtran-
„ dam univerſo orbi injuſtitiam hujus Cenſuræ. Anno 1609.
„ Opus ſuum *de Eccleſiaſtica & Politica Poteſtate* compoſuit
„ Richerius, rogatu primi Præſidis Verdunenſis, qui ſcire
„ optabat, quid eſſent Libertates Eccleſiæ Gallicanæ. Cæte-
„ rùm ubi primùm hujusmodi Liber editus eſt, ſtatim, quàm
„ ſibi moleſtus ille eſſet, manifeſtarunt Nuntius Pontificius,
„ Epiſcopi, & Doctores quidam, ultramontanis placitis om-
„ nino addicti. Qui nulli labori parcentes, ut in Richerium
„ multorum odia concitarent, auctores fuere, ut in gratiam
„ Gamachæi, qui ut Richerio amicitiâ conjunctiſſimus dere-
„ linquere illum nolebat, reſignaretur Abbatia S. Juliani
„ Turoneſis. Et Nuntius quidem Gamachæum penitus cor-
„ rupturus, pollicitus eſt operam ſe daturum, ut Bullæ gra-
„ tis expedirentur. Antiſtites verò ad labefactandam Cancel-
„ larii integritatem, burſam ei duorum millium ſcutorum dan-
„ dam curarunt per Epiſcopum Pariſienſem. Quâ acceptâ
„ fidem ſuam interpoſuit Cancellarius, fore ut Richerius con-
„ jiceretur in Baliſticam Pariſienſem. Interea Nuntii Auditor,
„ duce Doctore Forgemontio, veteri Jeſuitarum amico, ſuffra-
„ gia à Doctoribus oſtiatim emendicabat, pro Richerii Libro
„ configendo. Parlamentum de iis edoctum, quæ ab Nuntio
„ & Epiſcopis geſta erant, Senatusconſulto Kalendis Februa-
„ rii an. 1612. ad Decanum & Doctores dato, jubet ab
„ omni deliberatione abſtinere eos, donec Curia certior fie-
„ ret, quid de eo negotio placeret Regi. Nuntius & Epi-
„ ſcopi cùm viderent, malè ſibi rem ceſſiſſe apud Facultatem,
„ damnationem Richerii apud Reginam & Aulicos urgere cœ-
„ perunt. Eorum ſtudiis adſentiri abnuebat Regina, ejusmo-
„ di negotio ſuperſedendum rata. Sed interim ſollicitata Pa-
„ pæ litteris, animadverti in Richerium poſtulantis, rem Epi-
„ ſcoporum arbitrio permittit. Tunc in ædes Cardinalis Per-
„ ronii convenientes Epiſcopi Provinciæ Senonenſis, Li-
„ brum Richerii à ſe minimè lectum condemnant, tamquam

„ qui multas propoſitiones complecteretur falſas, erroneas, „ ſcandaloſas, hæreticas & ſchismaticas. Addunt juſſu Can- „ cellarii, Cenſuram intelligendam eſſe ſalvis Regis juribus, „ ſalvíſque Eccleſiæ Gallicanæ Libertatibus. Quæ exceptio „ ubi Romam perlata eſt, Curiæ ſupra modum diſplicuit. „ Itaque Archiepiſcopo Aquenſi auctor eſt Nuntius Pontifi- „ cius, ut illicò in ſuam Provinciam itinere ſuſcepto, Librum „ ibi Richerii ſynodicè proſcribendum curet, nullâ exceptio- „ ne additâ. Nihil ille cunctatus, acceptíſque de communi „ Cleri theſauro, qui apud Pariſienſem Epiſcopum ſervaba- „ tur, quatuor millibus ſcutorum (multo quippe ære alieno „ oppreſſus, novis impenſis faciendis impar erat) Aquis in „ Concilio trium Suffraganeorum Richerii Librum condemna- „ vit absque ulla exceptione. Et ut Apoſtolico Nuntio gra- „ tior & acceptior in dies fieret, Bullam in Cœna Domini „ per totam diœceſim ſuam publicavit &c.

Quæ verè in Richerii Opuſculo reprehendenda ſunt, ea vidimus ſuprà in Cardinalis Perronii Epiſtola ad Caſaubonum enuntiata. Interim tota hæc cauſa & in ſæpe fatum Libellum ab Epiſcopis Galliæ lata Cenſura, iis quæ jam vidimus mediis procurata (quam unà cum jurato Richerii inimico Duvallio, homine verè vili & venali nobis Zaccaria & ſocii ejus ad terrorem objiciunt) non Catholicam fidem ſolidat, ſed catholicis dogmatibus aſtutè involutam Papalem Monarchiam intendit.

De cætero dixit in ſua Apologia ad Andream Duvallium Richerius ipſe, adverſarios ſuos Monarchicam poteſtatem etiam ſupra Canones & generale Concilium Pontifici addicere; ſe verò cum Patribus Concilii Conſtantienſis & antiquis Scholæ Sorbonicæ Doctoribus contendere, ſtatum aut Principatum Eccleſiæ eſſe Monarchicum Ariſtocratico regimine eſſentialiter temperatum, ita ut Primatus ad particulares Eccleſias disgregatas ſolummodò *juridicè* (ſic ille loquitur) extendatur, minimè verò ad univerſalem Eccleſiam congregatam in Concilium. Si in hoc conſiſtit *Richerismus*, non Sorbona ſolùm, ſed

Digitized by Google

ſed tota Eccleſia Gallicana etiamnum *Richeriana* eſt. Sed (quod num. præced. à Boſſueto jam vidimus obſervatum) verè ignoratur, quænam ex Richerii doctrinis in tumultuario illo proceſſu fuerit condemnata.

CAPUT IV.

De fructu, quem ex Opere ſuo Febronius exſpectavit. Novæ infidelitates Patris Zaccariæ.

I.

Fructum, quem à ſuo labore Febronius deſiderat, ipſe ſufficienter enunciat tum in Libri ſui titulo, tum in ejus decurſu paſſim; ſcilicet *Reunio Proteſtantium cum Catholicis.* Pro medio poſuit *Reformationem Romanæ Curiæ.* Hoc medium ut juſtum & idoneum demonſtraretur, probandum fuit, *Exceſſum poteſtatis in Romana, ſeu Curia, ſeu Eccleſia, fuiſſe primariam cauſam ſive anſam ſeparationis Proteſtantium à Catholicis, & adhuc eſſe perpetuum impedimentum Reunionis.* Hoc ſparſim in ſuis Operibus Febronius demonſtravit; & nunc iterum irrefragabiilibus documentis & teſtimoniis, ſub unoc onſpectu poſitis, evincetur.

II. Jamtum ſæculo XII. divus Bernardus opportunum duxit, ut poteſtatis exceſſum, in Romana Sede vigentem, admonitionibus reprimeret in Eugenio III. Papa, ſuo quondam alumno, ad eum ſcribens Lib. II. de Conſiderat. Cap. 6. *Apoſtolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi uſurpare aude aut dominans Apoſtolatum, aut Apoſtolicus dominatum. Si utrumque ſimul habere voles, perdes utrumque.* Eodem ſenſu Durandus Mimatenſis Epiſcopus in Tractatu de Modo celebrandi Concilium, quem anno 1307. juſſu Clementis Papæ V. & ad ejus nec non Patrum Concilii generalis Lugdunenſis uſum conſcripſit, edit. Paris. an. 1671. pag. 69. dixit: *Pro-*

Digitized by Google

verbium eſt: Qui totum vult, totum perdit. Eccleſia Romana ſibi vindicat univerſa: unde timendum eſt, ne univerſa perdat. Qua autem ratione perdet univerſa? Per omnimodam jugi abjectionem. Dixerunt quidem Patres Concilii Triburienſis an. 895. C. 30. *Servanda eſt cum manſuetudine humilitas; ut, licèt vix ferendum ab illa Sancta Sede imponatur jugum, conferamus, & piâ devotione toleremus.* Verùm imprimis non omnes capiunt verbum hoc. Deinde ab eo tempore jugum Romanum incomparabiliter gravius factum eſt.

Hoc jugum ævo S. Bernardi, multò magis illo Durandi Epiſcopi, plurimùm aggravabatur per RR. Pontificum Decretales & per Decretaliſtas. De his ita Caſparus Barthel Wirceburgenſis Academiæ celeberrimus Procancellarius *Diſſert. III. de Concord. Germ. in Præfat. n.* 18. „ Inter reliquas diſſidii inter Sacerdotium & Imperium cauſas facilè palmarium fuiſſe conſtat „ enata illa ſæculo XII. Decretaliſtarum principia, ex quibus, „ quòd avidè & paſſim reciperentur, atque ab ipſis (Pontificibus) cùm è re ſua vel ſuæ Curiæ fore animadverterent, „ non negligerentur, ſucceſſivè tanquam ex equo Trojano, „ præter inſignes illos abuſus à congregatis novem illis à „ Paulo III. Prælatis ſatis perſtrictos, proruperunt quoque „ exceſſivæ beneficiorum reſervationes, exſpectativæ, commendæ & uniones in favorem perſonarum, taxæ pecuniariæ, ſpolia, annatæ, penſiones, & innumera alia, *quæ „ non poterant non motus undique & tumultus excitare graviſſimos*, præſertim autem in noſtra Germania. „

III. Enato interim Græcorum Schiſmate, de ejusdem cauſis hæc memorat Cardinalis Alliacenſis *in Canonibus reformandi Eccleſiam Cap.* 2. apud von der Hardt Tom. I. Part. 8. pag. 416. „ Neceſſaria erit reformatio & proviſio circa *gravamina, quæ Romana Eccleſia infert aliis inferioribus Eccleſiis & Prælatis*; & maximè in tribus, de quibus conqueritur Frater Humbertus de Romanis, quondam Magiſter „ quintus Prædicatorum in dicto Tractatu ſuo, quem compoſuit tempore Concilii generalis Lugdunenſis (an. 1274.)

ut

„ ut in eo ſuper his provideretur, ubi Parte II. Cap. XI. „ dicit, *quòd cauſa* DISPOSITIVA *ſchismatis Græcorum inter alias una fuit propter gravamina Romanæ Eccleſiæ in* „ *exactionibus*, *excommunicationibus*, *&* *ſtatutis*.

Interim in Anglia & Germania pullulant hæreſes Wicleſiſtarum, Huſſitarum, Valdenſium &c. Quæritur anxiè de medio eas extinguendi. Sententiam ſuam eâ de re hisce aperit laudatus Card. de Alliaco *Tract. de Neceſſitate reformationis Eccleſiæ in Capite & in membris Cap.* 29. apud von der Hardt cit. Tom. I. p. 308. „ Expediret, ut hæreſes iſtæ & „ auctores earum de Bohemia & Moravia eradicarentur omni „ modo. Sed non video, quòd id unquam bono modo fie- „ ri poſſit, niſi prædicta *Romana Curia priùs ad ipſos vete-* „ *res mores & conſuetudines laudabiles reducatur*; quia lege „ cavetur, quòd à Capite edenda ſit ratio. „ Porro tam illaudabiles tunc communiter reputabantur Romani regiminis conſuetudines, tam parum idoneæ ad reducendos hæreticos, ut Card. Alliaci diſcipulus Jo. Gerſon non dubitarit ſcribere in *Tract. de Reformatione Eccleſiæ in Concilio univerſali Cap. XXIV*. „ Quis unquam audivit vel legit, olim per Petrum, „ aut ejus Succeſſores in Papatu, intra mille annos aut ultrà „ fuiſſe talia attentata? Quæ ſi quandoque tunc facta fuiſſent „ & cognita, nemo ad fidem Catholicam propterea, niſi „ omnino reprobus, converti veroſimiliter potuiſſet. „ Hæc tempore Concilii Conſtantienſis.

IV. Ad Baſileenſem Synodum pertinent, quæ Andreas Magorenſis in Hiſpania Epiſcopus ſcripſit in *Gubernaculo Conciliorum Parte III. pag.* 181. apud von der Hardt Tom. VI. Part. 4. ſcilicet: „ Illa fides Chriſti, illa obedientia Ro- „ manæ Eccleſiæ, quæ in quibuſdam parvulis angulis terræ & „ orbis, ſcilicet in quinque nationibus *Italiæ*, *Franciæ*, *Teutoniæ*, „ *Hiſpaniæ* & *Angliæ* remanſit concluſa, adhuc omni die „ paulatim perdetur - - - - Et timendum eſt, quòd ante diem „ judicii, & in brevi, *niſi ſuper eam fiat reformatio & repa-* „ *ratio*, deſoletur & foras mittatur, & ab hominibus concul-

„ cetur - - - - - Adhuc dicam unum, de quo multum doleo in to-
„ to corde meo, videlicet: ſi aliqui in iſta Eccleſia & in iſta
„ S. Petri navicula volunt habere zelum legis Dei - - - - - ta-
„ les à multis Prælatis ſuperioribus & Dominis iſtius apo-
„ ſtolicæ Sedis, iſtius Eccleſiæ Romanæ turbantur, ſuppedi-
„ tantur, deſpiciuntur & confunduntur &c. „ Plura ex hoc Libro lege *Tom. I. Febr. Cap. VIII.* §. 8. *n.* 11. 12.

Hoc *Gubernaculum Conciliorum* Andreas Epiſcopus Cardinali Juliano de Cæſarinis, Concilii Baſileenſis Præſidi, obtulit & ad dictum Concilium tranſmiſit. Notus eſt Juliani pro Reformatione zelus, nota impedimenta huic ab Eugenio IV. & Romanâ Curiâ poſita; quid inde adverſi evenerit Eccleſiæ & ſanctæ noſtræ Religioni, paucis memorat Orthuinus Gratius Profeſſor Colonienſis in Epiſtolâ an. 1535. ad Lectorem Faſciculo Rerum expetendarum ac fugiendarum ſubnexâ fol. 240. ubi: „ Cardinalis Juliani admonitionem Chriſtianam ſi
„ Eugenius acceptâſſet, & Baſileam (uti ſpoponderat) adve-
„ niſſet, aut populares hi tumultus modò non eſſent, aut à
„ ſanctis illis Patribus jam diu fuiſſent conſopiti, noſtraque
„ univerſalis Eccleſia inter Syrtim nunc & Charybdim haud
„ ita periclitaretur - - - - - *Et poſtea*: Audivi ſæpenumero à
„ doctiſſimis viris, omnique virtute præditis, *hoc ſolum* (id
„ quod ego neque dicere neque affirmare auſus ſum) *om-*
„ *nium malorum eſſe ſeminarium*, *Summum videlicet Ponti-*
„ *ficem Concilio univerſali obedire non velle.* „ Gratio in poſtremo hoc puncto concordat Dominicus Soto in IV. Sentent. Diſt. 20. Quæſt. 1. art. 4. ſcribens: „ Nihil hic dicere
„ molimur de illa moleſta lite, utrùm Concilium ſit ſupra
„ Papam; *quæ cauſa eſt, ut nunquam Concilia eo candore feli-*
„ *citer celebrentur, quo antiquitùs.*

V. Ardebat jam Sæculo XVI. Germania Lutheranorum factionibus. Quæruntur remedia ſanando malo; coguntur an. 1522. Comitia Norimbergæ; mittit ad ea Adrianus Papa VI. ſuum Nuntium Franciſcum Cheregatum; dat huic inſtructionem ſcriptam, in qua cauſam mali diſerte exprimit. Ejus verba

verba hæc ſunt: „ Scimus *in hac ſancta Sede* aliquot jam „ annis *multa abominanda fuiſſe*: abuſus in ſpiritualibus, exceſ- „ ſus in mandatis, & omnia denique in perverſum mutata. „ ----- Qua de re quod ad nos attinet, polliceberis nos „ omnem operam adhibituros, ut *primùm Curia hæc*, *unde* „ *fortè omne hoc malum proceſſit*, *reformetur*.

Secundus poſt Adrianum in Cathedra Petri ſucceſſor Paulus III. novem ſelectos deputavit viros, tum Cardinales, tum Prælatos, quos ſub interminatione divini judicii juſſit ſibi fideliter aperire cauſas deformationis Eccleſiæ & media ejuſdem reformandæ. Hi ei candidè dicunt: *abuſibus illis & graviſſimis morbis*, *quibus jam pridem Eccleſia Dei laborat*, *&* PRÆSERTIM CURIA ROMANA, *effectum propè eſſe*, *ut paulatim ac ſenſim ingraveſcentibus his morbis*, *ea in magnam hanc ruinam*, *quam videmus*, *tracta ſit*.

VI. Inter hæc pervenitur ad Concilium Tridentinum. Plura hic iterum de cauſis communis hujus incendii. Gentianus Hervetus, qui in hac univerſali Synodo cum laude ſtetit, in Oratione de reparanda Eccleſiaſticorum diſciplina anno 1559. habitâ, „ Si Adrianus, inquit, quidem Sextus Pont. „ Max. imprimis pius & doctus *Romanam Curiam malè ubi-* „ *que audientem reformâſſet*, & impedimenta illa, quæ, quo- „ minus in Lutherum animadverteretur, obſtant, Centum in- „ quam illa Germaniæ gravamina, quæ Pontificis Legato in „ Imperii Conventu, quem Diætam vocant, fuere expoſita, „ ſuſtuliſſet, *pacatam hodie & tranquillam*, *quantum conjici* „ *poteſt*, *haberemus Eccleſiam*. Sed dum inter hæreticos & „ ſeditioſos homines, qui Eccleſiæ pacem perturbant, ſevera, „ ùt par eſt, ſcribuntur edicta ac decreta, *de moribus verò ul-* „ *tima*, *imò verò nulla ſit quæſtio*, fit, ut ex noſtrorum in- „ ſectatione in vulgi aures & animos ſe inſinuantes, & dein- „ de ſua perverſa dogmata offerentes, facilè perſuadeant. „ Quo fit, ut uſque adeo creſcat eorum numerus, ut iis, „ quorum eſt recta & ſincera fides, incipiat jam eſſe formi- „ dandus. &c. „ Plura Herveti *Tom. III. Febr. pag.* 254. *ſeqq.*

Quæ Rex Galliæ circa anſas hæreſium & earum remedia in Tridentino per ſuum Legatum Ferrerium proponi juſſit, ea reddimus verbis Card. Pallavicini *Lib. XIX. Cap. 3. n. 6.* „ Poſſe Regem, ubi vellet, triduo provincias ſuas pacare, „ quippe Principi ſuo nativo propenſione addictiſſimas; ſed „ ab illo non tam res ſuas quæri, quàm Religionis Catholicæ, „ ſummíque Pontificis ----- A ſuo Rege non peti niſi quod à Pa- „ tribus Nicæni Concilii Magnus Conſtantinus petierat: ſuas om- „ nes petitiones contineri in ſacris Litteris, *aut in* ANTIQUIS „ *Conſtitutionibus Conciliorum, Pontificum & Patrum:* harum „ *reſtitutionem in integrum*, ùt loquuntur JCti, à Rege Chri- „ ſtianiſſimo, Eccleſiæ Primogenito, poſtulari apud eos, quos „ Deus legitimos tanquam Prætores conſtituerat: id ipſos à „ Rege flagitari non vi clauſulæ univerſalis, ſed verborum, „ quæ exprimuntur in Edicto illo divino ac perpetuo, adver- „ sùs quod nec habuit, nec habitura erit locum *uſucapio.* „ Rem illuſtravit ingenioſis collationibus exemplorum ex Di- „ vina Scriptura. Affirmavit, *niſi id perficeretur*, *fruſtra con-* „ *fugi* ad affinitatem, ad ſingularem amicitiam, ad incredibi- „ lem liberalitatem maximi ac potentiſſimi Regis Catholici: „ fruſtra implorari opem ſupremi Pontificis, Reip. Venetæ, „ Ducum Lotharingiæ, Sabaudiæ, & Etruriæ: *id niſi habere-* „ *tur*, *fallacem eſſe equum ad ſalutem.* Eos, qui perirent, „ propriâ quidem culpâ perituros; ſed perituros Patribus, at- „ que è Patrum manibus rationem eorum ſanguinis petitum „ iri.„ Habemus hìc originem & cauſam mali latè graſſantis; habemus remedium morbi, illúdque *unicum.* Sed quare unicum illud remedium non fuit adoptatum & adhibitum? Rationem dabunt quæ ſequuntur.

Franciſcus de Vargas, Regis Hiſpaniæ in eodem Concilio Legatus, in Commentario *Quis ordo deceat in Conciliis, & quænam ibidem ſint Legatorum officia*, hæc memorat *Tom. I. Febr. Cap. VI.* §. 12. „ Omne malum fatebantur (Patres Con- „ cilii Trid.) *è prava conſuetudine invecta originem trahere.* „ *Eſſe eundem fontem hæreſium* ajebant; ac certè *præbere hanc* occa-

„ *occaſionem hæreticis*, ut indies inſolentiores fiant, & audaciâ „ efferantur - - - - - Nihil erat, cui diligentiùs Legati (Pontificis in Concilio) invigilarent, quàm ubi reformationem, „ acriorem præſertim, ſibi turbare licebat - - - - Notum eſt „ orbi univerſo, quibus artibus inſtructi acceſſerint - - - - - „ *Tendebant omnia ad firmandos abuſus &c.*

Claudius Espencæus, qui & ipſe huic Concilio interfuit, *Operum pag.* 480. „Certè videt (Pius IV. Papa) *propter aliquot* „ *ejus Prædeceſſorum*, ſua, non quæ Jeſu Chriſti ſunt, quærentium *avaritiam* (ùt ex Scriptoribus ei licèt addictiſſimis „ probare poſſumus) *in quem ſtatum adducta ſit S. Sedes Apoſtolica*, *imò tota Chriſti Eccleſia*, quàm multa non multis „ abhinc annis facta ſit ab ea diſceſſio. *Metuendum*, *ne* „ *major fiat*, ni vel aliquando tandem remedium adhibeat. „ Verùm, ùt dixit Vargaſius, *tendebant omnia ad firmandos abuſus.*

VII. Ex iis, quæ à nobis hactenus prolata ſunt, facilè convincimur, veriſſimum eſſe, quod ſcripſit Juris Canonici in Fuldenſi Academia Profeſſor Oberhauſer, Ord. S. Benedicti Religioſus, in *Prælect. Juris Can. Lib. I. pag.* 179. nempe, id detrimenti accidiſſe ſequioribus ſæculis, ut, cùm quondam Primatus per Canones ordinatus Centrum unionis reſpiceretur, poſthac ultra limites antiquos extenſus, à Schismaticis & Hæreticis ſumeretur in petram ſcandali. Ad hoc ſcandalum ſeu tollendum, ſeu minuendum, dixit in ſuo Edicto anni 1682. Ludovicus M. ſe ſibi polliceri, futurum ut Declaratio Cleri Gallicani ejusd. anni (quam *moderatione temperatam* aſſerit) ejusque Quatuor Propoſitiones conducant. *Propoſitiones hæ Pariſienſes*, inquit Lud. Maimburgus Lib. de Inſtit. & privileg. Eccleſiæ Rom. Epiſt. ad Regem, *eò ſpectare*, *ut circumſcriptâ minutâque Pontificis Romani poteſtate Proteſtantibus odioſâ*, *tantò illi faciliùs ad Catholicam verâmque Religionem perducantur*; *ſicque ſperari poſſe*, *Schisma ceſſaturum*, *ſublatis ejus cauſis.* Hæc refero tanquam novum argumentum ad probandam, quam dixi, cauſam Schismatis & nutrimenti ejusdem;

non quaſi credam, ſolas illas Gallicani Cleri Propoſitiones ad illud omninò tollendum ſufficere; hunc in finem deſideravit ſuprà laudatus Archiepiſcopus Card. de Alliaco, ut *Romana Curia* PRIUS *ad ipſos veteres mores & laudabiles conſuetudines reducatur.* Deſideravit ſub finem Concilii Tridentini, nullo Patrum contradicente, Carolus Cardinalis à Lotharingia, ut *Diſciplina Eccleſiæ ad antiquos Canones, præſertim quatuor primorum Generalium Conciliorum, reducatur.* Deſideravit Rex Chriſtianiſſimus in mandatis, quæ dedit ſuis ad Tridentinam Synodum Legatis, *ut ad Eccleſiæ initia redeatur, ut Eccleſiæ ſtatus ad originis ſuæ puritatem quàm maximè accedat.*

VIII. Cui ea, quæ de cauſa hæreſium & ſchismatum dicta ſunt, non ſunt ſatis, ei neſcio quid poſſit ſufficere; ajo de cauſa *diſpoſitiva*, uti loquitur Frater Humbertus de Romanis. Verùm hic intercedit P. Zaccaria ſui Antifebronii italici Tomo I. Introduct. Cap. I. n. 3. nobis aliam cauſam offerens ex noto libro anno 1750. impreſſo ſub titulo: *Memoires pour ſervir à l'Hiſtoire de Brandenbourg.* Ex eo *pag.* 21. nobis ſequentia recitat: *Si donc on veut reduire les cauſes* DES PROGRES *de la Reforme à des principes ſimples, on verra, qu'en Allemagne ce fut l'ouvrage de l'Interêt, en Angleterre celui de l'Amour, & en France celui de la Nouveauté, ou peutêtre d'une Chanſon: o! Moines! o! Moines! il faut vous marier.* Imprimis Auctor hujus Scriptiunculæ loquitur de ſolo *Progreſſu* Reformationis. Deinde, ſi talibus armis adversùs Jeſuitas pugnare liberet, producerem libellum ante non multos annos vulgatum, in quo refertur hiſtoria de quodam Indiarum Monarcha, qui ſatis facilem Miſſionariis ad ſe acceſſum permiſit, atque ab his de ſubſtantialibus Catholicæ Religionis voluit informari; at cùm demum ad quæſtionem de ſummo Pontifice ventum eſſet, atque hunc illi pingerent *more Romano*, Miſſionarios ociùs dimiſit, dicens, nolle ſe ſecundum in ſuo regno *Monarcham*; atque ita omnis ſpes converſionis præciſa fuit. Sed à ludicris revertamur ad ſeria.

Adfert

Adſert ille tum in citata *Introductione*, tum in Antifebronio vindicato *Tom. I. pag.* 87. *ſeqq.* nonnullorum Proteſtantium ſcripta, quibus doceat, multò plura quàm Primatum, qualem *Romani* defendunt, in cauſa fuiſſe, cur Proteſtantes à nobis receſſerint; alia item eſſe, quæ illos à nobis ſejunctos etiamnum tenent, ac porro tenebunt; pro reunione ab illis deſiderari omnium articulorum fidei exæquationem. Eadem jam nobis oppoſuere Jeſuitæ tres, P. Kleiner, P. Zech, & Auctor libelli *Jugement d'un Ecrivain Proteſtant.* Singulis reſponſum fuit, illi *Tom. I. in Append. pag.* 52. iſti *Tom. II. p.* 141. huic *Tom. III. pag.* 211. Summa omnium hæc eſt: Sublatis impedimentis politicis, quæ potiſſimum conſiſtunt in Primatu, *Romano more* explicato & practicato; ſublatis item ſcandalis, quæ vigent in Eccleſiaſtico regimine, regreſſus ad avita ſacra Proteſtantibus multò erit gratior, multò facilior. Sic certè putârunt Patres noſtri ante Tridentinum & in ipſo adhuc Concilio. Principum Aulæ, per quas Reunio maximè procuranda eſt, non multùm curant Theologorum jurgia; dummodo, quæ ad rationem Statûs pertinent, ritè componantur. Primatu ad ſuos, id eſt, legitimos fines reducto, ceſſabit inveteratum illud odium & ferè inſuperabilis diffidentia, per praxes Romanæ Curiæ Capiti Eccleſiæ concitata, præſertim in animis Proteſtantium. Vident hi, Romanam regiminis normam etiam Catholicis Principibus atque Epiſcopis in multis, nec immeritò, diſplicere; atque ideo in nullam religionis communionem cum Romanis venire volunt, proinde nullam ab his acceptare inſtructionem, per quam Catholicas veritates haurire valeant &c. Conf. *cit. Tom. II. Febr. p.* 142.

Regerit poſt omnia hæc P. Zaccaria *Tom. II. p.* 280. illud S. Cypriani Epiſt. 4. ad Cornelium: *Neque enim aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſunt ſchismata, quàm dum Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus judex vice Chriſti cogitatur.* Sed meminerit Lector, nos ſemper locutos eſſe, & adhucdum loqui de cauſa *diſpoſitiva* ſchismatis. Hoc intuitu ne in minimo

obſtat memoratum Cypriani dictum, quominus perſtet veritas eorum, quæ juxta præmiſſa ſeriò dixerunt Alliacenſis, Gerſo, Novemviri Conſiliarii Pauli III. & alii.

IX. Repetit ex ſocio ſuo Kleinero idem Pater Jeſuita *cit. Tom. I. p.* 91. „Ut ſperari ac fieri poſſit compoſitio „ partium circa res fidei litigantium, opus omnino eſt aliquo „ judice ſupremo: adeoque agnoſcendus Romani Pontificis „ Primatus tam ordinis quàm jurisdictionis ac magiſterii; ut- „ pote quem Primatum jam pridem ipſi aſſeruiſſent SS. Pa- „ tres, tanquam ſucceſſori D. Petri.„ Egregie! Sed imprimis verum non eſt, quòd ad *compoſitionem* partium circa res fidei *omnino* opus ſit aliquo judice *ſupremo*; quòd ſi autem eo opus foret, prudentia (ut de Theologicis principiis jam nihil memorem) dictaret, talem Catholicos inter & Proteſtantes *Eccleſiam* potiùs eſſe quàm *Papam*. Cùm in Tridentina Synodo Legati Electoris Saxoniæ Proteſtantium nomine peterent, ut ante omnia Patres in memoriam revocarent Conſtantienſis & Baſileenſis Concilii Decreta, quibus declaratur, Pontificem in iis, quæ ad ipſum & quæ ad fidem pertinent, Concilio ſubjacere; atque ita Oratores inſtarent, ut primo loco id à Tridentinis Patribus declararetur, quemadmodum à Baſileenſibus in ſecunda Seſſione factum eſt; ii, qui Pontificis nomine Concilio præſidebant, reſpondebant: *Pontificem contrarium declaràſſe, nec fieri poſſe, ut tertius in terra ſupremus judex inveniretur.* Pallavicinus Lib. XII. Cap. 15. n. 15. Tali reſponſo omnem Compoſitionis ſpem pro tunc evanuiſſe quisque facile intelliget; ſicut & nemo non primo intuitu percipiet, ad *Compoſitionem* nequidquam valere, quod de agnoſcendo *prævië* illo Jurisdictionis & Magiſterii, imò & Infallibilitatis Primatu, qualem *Romani* prætendunt, & hoc loco Patres Jeſuitæ proponunt.

Æquiorem his ſe præſtat eorum in hac arena ſocius P. Ladislaus Sappel Recollecta in Parte ſecundà ſui Libri ſingularis de Statu Eccleſiæ adversùs Juſt. Febronium anno 1771. editâ; in hac circa finem de Medio amicabilis compoſitionis tractans

tractans, pag. 722. hoc medium, ut ipſe quidem opinatur, *unicum*, in eo conſiſtens proponit, *ut una pars alteri concedat, quidquid concedere ſalvâ conſcientiâ pro decore Imperii poſſit. E contrario, ne ulla pars ab altera exigat, quod ea ſine læſione conſcientiæ, aut Imperii damno concedere haud valet.* Bene eſt: at non putem à Febronio aut ejus Defenſoribus pro paranda concordia hactenus quidquam aut propoſitum aut petitum fuiſſe, quod ſit aut juri divino, aut ſacris Eccleſiæ Canonibus adverſum, & non magis conforme votis ſummorum virorum, quos paulo antè *num. 7. in fin.* nominavimus; quod proinde neutrâ ex parte conſcientias lædat, multò minùs in bonum ac decus Imperii Romano-Germanici impingat.

X. „Quid verò (ſic P. Zaccaria *cit. Tom. I. p. 90.*) ſi „ & illud addamus, *perſuaſiſſimum* eſſe Febronio, *nunquam* „ *futurum*, ut Romani Pontifices Primatum ſuum iis finibus, „ quos ipſe conſtituit, coërceri patiantur?„ Adde! Sed cave, ne etiam falſum addas, aut verum reticeas. Dixit Febronius (cujus verba ex Tom. II. pag. 153. recitas) *ſe non videre, quomodo graves & ſubſtantiales defectus ex conceptu Monarchico nati auferri queant, ſive via judicii, ſive per medium tractatuum ineundorum cum Curia, quæ adoptatum ſuum ſyſtema* SPONTE *non dimittet.* Non dimittere *ſponte*, an hoc eſt *nunquam* dimittere? Clemens Papa XIV. glorioſiſſimè regnans non omiſit *ſponte* publicationem Bullæ Cœnæ; & tamen omiſit. Quinimo illud tuum *Perſuaſiſſimum* eſt altera ſpecies falſi. Pergit Jeſuita ſubreptionem addere obreptioni: *Si Febronius*, inquit, *hoc ſentit, actum igitur eſt de Proteſtantium ad Romana ſacra acceſſione, quæ ipſo judice, niſi Pontifex Primatu Directionis contentus ſit, ſperari minimè poteſt. Quid ergo fructus ex ſua lucubratione ſe percepturum confidat? Nullum profectò, qui quidem ad finem ſibi propoſitum faciat.* Non ſic de Proteſtantium ad Romana ſacra acceſſione actum eſſe, *eadem pag.* 153. in qua adverſarius ſe fundat, à Febronio demonſtratur, ibi referuntur media ſuccedanea Febroniano Syſte-

mati omnino reſpondentia, & apta ad intentum finem conſequendum. Quod hic Jeſuita de nudo *Primatu directionis* interſerit, repetitum falſum eſt, jam ſatis denudatum præſenti Diſſert. Cap. II.

Cæterùm, non diffiteor, potuit Febronius, & prudenter debuit dubitare de proſpero ſucceſſu ſuæ molitionis, quàm diu ille ab *unius Romanæ Curiæ* voto & ſpontaneâ optione dependet. Et quis non diffidat? Verùm vel eâ ratione ille ſuum Opus non ad ſolum Rom. Pontificem direxit, ſed etiam ad Reges & Principes, ad Epiſcopos, ad Eccleſiæ Doctores, quorum vota in hoc quoque negotio audiuntur, & ſæpe deciſiva ſunt. Sic, quantum in ipſo erat, voluit Auctor ſuæ lucubrationi quoquo rationabili mòdo vim dare & efficaciam.

Legerat ille in Edmundi Richerii *Hiſtoria Conciliorum Lib. IV. Part. II. Cap.* 5. §. 1. *pag.* 63. quæ ſequuntur: „ Dum apud me perpendo, Arianiſmum & Monotheletiſmum, in quo de ſola doctrina, non de ſanandis moribus „ Eccleſiæ, trecentos circiter annos continuâſſe, valde quidem „ formidare incipio, ne Lutheri & Calvini hæreſes, quæ potiſ„ ſimùm *ex Regiminis Eccleſiaſtici corruptela*, & morum bo„ norum tabe originem & incrementum hauriunt, multò lon„ giùs latiúſque pervadunt. „ Hæc, inquam, legit in *Richerio*, ſi ea legiſſet in *Quenello*, ſi in ipſo *Luthero* vel *Calvino*, non ideo minùs vera & rationabilia credidiſſet, nec minùs digna, quæ cujuſque pro Eccleſia Matre ſua bene affecti viſcera commoveant.

XI. Verùm hic rurſum intercedit Jeſuita Italus, *pag.* 99. & 143. pronuntians, perridiculum & planè inſanum, aut ſaltem ſummæ levitatis eſſe, Romanis Pontificibus eorúmque Curiæ tot probrorum objectione infamiam odiúmque publicum conflare, eo animo eóque fine, ut hæreticis ineundæ nobiſcum pacis via ſterneretur facilior. Fatebor id equidem, ſi Febronii animus fuiſſet in allegatione & probatione earum cauſarum, quæ hæreſibus anſam dederunt, ſiſtendi. Sed ſi

mens

mens ejus fuit (ſicut revera eſt) per cauſas contrarias illis, quibus tunica Chriſti diſciſſa fuit, eandem, quantum in ipſo eſt, colligere; debuit ille genuinas cauſas fatalis hujus ſciſſionis primum exhibere, debuit media eis contraria oſtendere, debuit fidem & auctoritatem eorum, quibus jus eſt & facultas tantis malis medendi, interpellare.

Equidem non diffiteor, Proteſtantibus, antequam incuſata à tot viris probis & doctis, ſerie vix interruptâ, vitia Romanæ Curiæ effectivè emendata ſint, hanc minùs placituram. Aſt primùm illi videbunt, ea non eſſe vitia Catholicæ Eccleſiæ. Deinde in hoc Febronius aliud non egit, quàm ut in unum collecta Lectorum obtutui bono fine inſimul objiceret, quæ alii ſejunctim & ſinguli publicaverant. Demum ſi hæc forte aliqui, ſive Catholici, ſive Acatholici, in alios eóſque ſiniſtros uſus convertant, non ideo illa perpetuo ſilentio involvenda, & res in eodem ſtatu (qui naturali ſuo pondere identidem in pejus declinarent) relinquenda forent. Non ideo Rex & Clerus Galliæ ſuas Declarationes anni 1682. minùs prudenter publicârunt, quòd Miniſtri Eccleſiæ Anglicanæ eas in rem ſuam imprudentiùs verterent. De hoc Anglorum facto lego ſequentia in Antifebronii Vindicati *Tom. II. pag.* 414. ex cujuſdam Anonymi Obſervationibus in Maimburgum: „ Les Miniſtres d'Angleterre en 1682. prirent occaſion de „ ce qui s'étoit paſſé cette année là ſur ces matieres dans l'Aſ- „ ſemblée du Clergé de France, pour empêcher la conver- „ ſion de pluſieurs Anglois, qui vouloient rentrer dans la „ communion de l'Egliſe Romaine, ces Miniſtres leur fai- „ ſant accroire ſur de faux pretextes, auxquels ils tachoient „ de donner quelque apparence, qu'on ne reconnoiſſoit plus „ en France l'autorité du Pape. C'eſt ce qu'on en ſcût en „ ce tems là par des relations très - fidelles.

XII. Inſuper (ſic addit Auctor Antifebronii Vindicati *cit. pag.* 99. & 143.) Febronius ſcandalizavit puſillos Catholicos. Huic ſicut & præcedenti objectiunculæ jam obviam itum eſt *Tomo I. Febr. pag.* 677. *ſeq. Tomo II. p.* 143. *Tomo III. pag.* 181.

181. & 263. Si quid ultrà deſideras, accipe illud verbis Ill. Boſſueti ex Oratione funebri Mariæ Auſtriacæ Infantis Hiſpaniæ Reginæ Franciæ dictâ Pariſiis 1. Septembris 1683. „ Qu'on ne s'y trompe pas: le Saint Siége ne peut jamais „ oublier la France, ni la France manquer au Saint Siége, „ & ceux qui pour leurs interêts particuliers, couverts ſelon „ les maximes de leur politique, du pretexte de pieté, ſem- „ blent vouloir irriter le Saint Siége contre un Royaume, qui „ en a toujours été le principal ſoutien ſur la terre, doivent „ penſer, qu'une Chaire ſi eminente, à qui Jeſus - Chriſt a „ tant donné, *ne veut par être flattée par les hommes*, mais „ honorée *ſelon la regle* avec une ſoumiſſion profonde: qu'elle „ eſt faite pour attirer tout l'univers à ſon unité, & y rappeller „ à la fin tous les Hérétiques, & *que ce qui eſt exceſſif, loin* „ *d'être le plus attirant, n'eſt pas même le plus ſolide, ni le* „ *plus durable.* „ Recueil des Oraiſons funebres prononcées par M. Boſſuet. Edition de Paris 1762. *pag.* 158. Saltem hoc non dicent adverſarii deſumptum ex *Pſeudo-Boſſueto.*

XIII. Propoſuit Febronius *Tom. I. Append. IV. pag.* 33. pro concomitante remedio facilitandæ reunionis conceſſionem Communionis *ſub utraque ſpecie*; quod & multi alii ante ipſum ſuaſerant. Propoſuit item, cum Theologo Lutherano Bahrdt agens, *ibid. pag.* 146. ut redeuntes ex Lutherano Clero cum ſuis uxoribus maneant, *adinſtar Græcorum*, retentis quoque dignitatibus ac beneficiis. Cùm utramque hanc indulgentiam Colonienſis Univerſitas in Judicio ſuo academico (*Tom. II. Febr. pag.* 75.) tanquam *heteroclitam* damnaret, Febronius in ſubjecta ibid. Nota probavit, plures Imperatores ac Principes primam harum indulgentiarum pro ſuis Statibus à RR. Pontificibus petiiſſe & obtinuiſſe, nec tamen eapropter aut petentes aut concedentes *heteroclitos* habitos fuiſſe. Colonienſium cauſam aſſumens P. Zaccaria, tam in ſuo Antifebronio, quàm in Antifebronio vindicato, in hoc ita ſcribit *Tom. I. pag.* 96. „ Non Principes illi, non Pontifices heterocliti fuere: qui „ obfirmatam Proteſtantium pervicaciam nondum uſu ac pericli-

„ clitatione perceperant, *heteroclitus Febronius* eſt, qui poſtquam experientiâ compertum eſt, non eam eſſe Proteſtantium indolem, quæ tantâ Catholicorum Principum, ſummorúmque Pontificum facilitate flectatur, eamdem, qua illos maximè abuſos fuiſſe conſtat, indulgentiam commendat. Multò autem magis heteroclitus eſt, quum non animadvertit, etſi à me commonitus, non de quacunque heic agi diſciplina, ſed de diſciplina, quæ non ſuapte quidem naturâ, ſed tamen propter implicatos hæreticorum errores magnam habet cum dogmate connexionem. „ Porro ad probandam Proteſtantium inflexibilitatem, non attentâ Pontificum hujuſcemodi indulgentiâ, producit in ſuo italico Antifebronio *Tom. I. pag. X.* teſtimonia ex medio ſæculo XVI. Cardinalis Truchſeſii Epiſcopi Auguſtani, Joannis Eckii, Card. Commendoni. Ego adversùm hæc meliore jure utar ex ſæculo XVII. declinante auctoritate Boſſueti, magni illius animorum captatoris & conciliatoris; neque enim, ubi agitur de hominum ac religionum reunione, ab uno ævo ad aliud concludens eſt argumentum; præſertim ſi graviora illa odia, & aliunde procedentes animorum motus (de quorum cauſis hactenus actum) ſedari aut extirpari queant.

Porro in Vitâ Boſſueti per D. Burigni editâ pag. 221. legitur ſequens Epiſtola, per Boſſuetum 12. Auguſti 1685. ad Mabillonium ſcripta. „Il me vient dans l'eſprit, qu'il y auroit une choſe, qui pourroit beaucoup ſelon toutes les nouvelles que nous recevons, faciliter le retour de l'Angleterre & de l'Allemagne. *Ce ſeroit le rétabliſſement de la Coupe.* Elle fut rendue par Pie IV. dans l'Autriche & dans la Baviere; mais le remede n'eut pas grand effet, parce que les eſprits étoient encore trop échauffés. La même choſe accordée dans un tems plus favorable, comme celuici, ou tout paroit ébranlé, réuſſiroit mieux. Ne pourriez vous pas en jetter quelques paroles; & ſonder un peu les ſentiments là-deſſus. Je croi pour moi, que par cette condeſcendance, *où il n'y a nul inconvenient qu'on ne*

„ *puiſſe eſperer de vaincre*, après un uſage de treize cens ans, „ on voiroit la ruine entiere de l'héréſie. Déja la plupart „ de nos Hugenots s'en expliquent hautement. „

Vides, Pater Zaccaria, qualiter Boſſuetus diſtinguat tempora & mores; ipſe, qui æque parum ac tu ignoravit connexionem, quæ hic poſſet, ex defectu ſufficientis inſtructionis, intercedere inter diſciplinam & dogma. Si ſtylo tibi multùm familiari vellem uti, dicerem Boſſuetum à te hic vocari *beteroclitum*. Sed hìc necdum ſtetit illuſtriſſimus Epiſcopus Meldenſis. Cùm non multò pòſt auctoritate maximorum Principum pro Religionum concordia tractatus inſtituti eſſent, hanc ille Notam Molano & Leibnizio (qui pro Proteſtantium parte horum tractatuum inſtrumenta erant) communicavit: *Sacra Eucbariſtia veram fidem, juxta præcedentes articulos, ſemel profeſſis, nullâ novâ cautione ſub utraque ſpecie tradatur: Sacramenti reverentiæ conſulatur. Superintendentibus ac Miniſtris in Epiſcopos ac Presbyteros ex bujusmodi pacti formula ordinatis, quamdiu erunt ſuperſtites, ſua conjugia relinquantur, ubi deceſſerint, cœlibes præficiantur, multâ probatione, ætate maturâ.* Boſſuet Opp. Poſthum. Tom. II. pag. 172. Quod hìc de Miniſtris & Superintendentibus in Presbyteros ac Epiſcopos ordinandis, & tamen in ſuis conjugiis relinquendis vir illuſtriſſimus proponit, hoc æque ac præcedens adverſarii obſervent, ut neque unam neque alteram harum indulgentiarum, eo modo quo illas Febronius propoſuit, deinceps *beteroclitam* proclament, &, quod boni Colonienſes faciunt, damnent.

DIS-

DISSERTATIO II.

DE FORMA REGIMINIS ECCLESIASTICI A CHRISTO DOMINO CONSTITUTA.

CAPUT I.

Status Eccleſiæ non eſt purè Monarchicus. P. Zaccariæ vacillationes.

I.

Cùm *de Statu Eccleſiæ* Juſtinum Febronium inter & ejus adverſarios primaria & præjudicialis quæſtio verſetur, oportet, ut de ea primùm hic agamus; & quidem ex concordibus (quantùm per variantis humani ingenii conditionem licet) Catholicorum Theologorum votis. Inter hos primo loco Bellarminum nominamus, illum utique, ad cujus placita Romani omnes noſtras de Jure Publico Eccleſiaſtico ſententias exigi cuperent. Is Lib. I. de Rom. Pont. Cap. 5. diſertè ſcribit: *Doctores Catholici in eo conveniunt* OMNES, *ut regimen Eccleſiaſticum hominibus à Deo commiſſum, ſit illud quidem Monarchicum, ſed* TEMPERATUM *ex Ariſtocratia & Democratia.* Bellarmino jungimus Petrum Ballerinium Veronenſem, unum ex præcipuis, qui-

Digitized by Google

quibuſcum nobis in præſenti lucubratione negotium eſt. Hic in Vindiciis Auctoritatis Pontificiæ contra Opus Juſtini Febronii Cap. III. n. 12. pag. 180. expreſſè tradit, *Regimen Eccleſiaſticum, cui Papa & Epiſcopi præſident ex inſtitutione divina, non eſſe merè Monarchicum, ùt in Regibus ſæculi, ſed eſſe Regimen ex Monarchico & Ariſtocratico* MIXTUM, *ùt Gerſon aliique Galli notârunt.*

Videamus igitur, quid hanc in rem litteris conſignârint Gerſon aliique è Gallia viri doctiſſimi. Inter hos meritò primùm locum damus Gerſonis Magiſtro Petro de Alliaco, Cardinali, Epiſcopo Cameracenſi, in Tractatu *de Auctoritate Eccleſiæ, Concilii generalis & Rom. Pontificis. Part. II. Cap. 3. Tom. II. Gerſon. p.* 945. ubi hanc Concluſionem probandam ſuſcipit: *Status Monarchicus Eccleſiæ regimine Ariſtocratico & Democratico temperatur*; ſic autem eam probat. „ Pro „ cujus declaratione ulteriùs ſciendum eſt, quòd, licèt Papalis „ dignitas à Deo ſit, unde ab homine nec major nec minor „ fieri poteſt, tamen uſus plenitudinis poteſtatis, ad excludendum abuſum, poteſt Concilii Generalis auctoritate reſtringi: unde antiquo jure inſtitutum eſt, quòd Papa profeſſionem faceret, ùt patet ex Libro Diurno &c. Sed ad regulandum uſum plenitudinis poteſtatis, & excludendum abuſum ejuſdem, conſiderare convenit, quòd non expedit Eccleſiæ, quæ habere dicitur Regale Sacerdotium, quòd ipſa „ regatur *Regimine regio puro, ſed mixto cum Ariſtocratia & „ Democratia &c.* „

Alliacenſem ſequitur fidus ejus diſcipulus Joannes Gerſon multis locis, ſignanter in Tractatu de Poteſtate Eccleſiaſtica Conſid. VII. *Opp. Tom. II. pag.* 237., nec non Conſid. XII. *pag.* 248. item Conſid. XIII. *pag.* 254. porro in Sermone ſuper proceſſionibus pro Viagio Regis Romanorum Part. III. Directione 2. *pag.* 279. Denique, ut alia omittam, in Tract. de Statu Rom. Pont. Conſiderat. II. *pag.* 530. Quòd igitur Gerſon quibuſdam in locis Papam ſimpliciter *Monarcham* vocat, ac *pro Monarcha* habendum aſſerit: id eo ſenſu intel-

intelligendum eſt, quatenus reſpectu ſingulorum Chriſtianorum ſingularúmque Eccleſiarum ſupremus in Eccleſia Catholica Princeps, ſupremúsque & obſervandorum Canonum Executor, & conſervandæ unitatis Vindex eſt. Nihil certè in Gerſonii Libris verſatum eſſe oportet, quisquis illum adducit pro confirmanda abſoluta Papæ Monarchia: quandoquidem nihil in præcipuis ejus Scriptis eſt frequentius, nihil apertius, nihil inculcatius, quàm ſuperioritas Concilii Generalis reſpectu Papæ ad mentem & ſenſum Conſtantienſium Decretorum, quorum ille auctoritatem identidem urget. Huc conferatur Theodorus à Palude in Floribus ſparſis ad Febronium *Cap. VIII.* §. 2., ubi pluribus memorat, quo ſenſu non ſolùm Gerſo, ſed & alii Galli, Natalis Alexander, Tournelius &c. Papam *Monarcham* dicant, & Regimen Eccleſiæ *Monarchicum.*

Sanè prioribus Eccleſiæ ſæculis non ſolùm admirationi, ſed etiam ſcandalo fuiſſet, ſummum Pontificem *Monarcham Eccleſiæ* vocari. Neque dubito, quin, ſi quis aureis illis temporibus *Eccleſiaſticam Monarchiam* dixiſſet, tam profana Chryſoſtomo & Auguſtino (ne quid dicam de Cypriano) viſa fuiſſet ejusmodi nuncupatio, quàm Gregorio Magno titulus *Epiſcopi Univerſalis.* Sed poſtquam Diſciplinâ in pejus mutatâ Romanis auribus placere cœpit, ſucceſſorem Piſcatoris magnificentiſſimo omnium titulo decorari, & eum, qui ſe *ſervum ſervorum Dei* inſcribit, Cæſaribus & Regibus coæquari: neceſſe viſum eſt, ſignificatum novi vocabuli ad ſenſum cordatiorum Theologorum ſic exponere, ut, novâ voce retentâ, antiqua doctrina, eáque unicè vera, oblivioni non traderetur. Sed redeamus ad viam.

II. Petrus de Marca Archiep. Pariſienſis de Concord. Sac. & Imp. Lib. II. Cap. 16. n. 6. *Monarchia*, inquit, *Eccleſiaſtica ex ariſtocratico regimine eſt* COMMIXTA; *contrà quàm accidit in pleriſque regnis, quæ jure optimo à Principibus poſſidentur.* Idem doctiſſimus Præſul hanc materiam enucleatiùs tractat in Diſſertatione *de Forma regiminis à Chriſto inſti-*

inſtituta in Eccleſia, ubi *Num. IV.* ſcribit in hunc modum: „ Quare dicendum eſt, ex Chriſti inſtituto regiminis Eccle„ ſiaſtici formam hanc eſſe, ut diverſis Paſtoribus committa„ tur, quorum unus ſit Caput collegii ad tuendam unitatem: „ hoc eſt, ut Politicorum verbis explicetur, *Status Eccleſiæ* „ *eſt Monarchicus ex Ariſtocratico regimine temperatus.* Et „ *Num. XI.* Sed ut ad primum conſilium Chriſti in Eccle„ ſiæ regimine inſtituendo redeamus, ex ſuperiùs dictis patet, „ collatam Collegio Apoſtolorum regendi auctoritatem eâ le„ ge, ut Petrus præeſſet Eccleſiæ unitati, eámque cuſtodiret. „ Defunctis autem Apoſtolis non eſt everſa ſemel conſtituti „ regiminis forma & nova ſubſtituta, præcipuè cùm prior „ illa neceſſaria non eſſet temporibus Apoſtolorum, niſi qua„ tenus intererat formam regiminis ſemel conſtituere, quæ „ in perpetuum eſſet obſervanda. Itaque in Epiſcopis, quos „ Apoſtoli in locum ſuum ſubſtituerunt, debet vigere idem „ adminiſtrationis & regiminis Status. *Rerum ſumma & in„ fallibilis poteſtas erit in Collegio Epiſcoporum cum Præſide „ unitatis.*

Illuſt. Boſſuetus Defenſ. Declarat Cleri Gall. Lib. XIII. Cap. 15. ubi Charlaſium refellit: „ Nec melioris, inquit, no„ tæ illud: *In regimine monarchico ſupremus Princeps officia „ aliis etiam Principibus diſtribuit ac juriſdictionem confert.* „ Demonſtrandum enim erat, Eccleſiaſticam Monarchiam, „ ſub Chriſto præcipuo Monarcha conſtitutam, ad formam „ Monarchiæ ſæcularis penitùs inſtitutam eſſe. *Quod eſt falſiſ„ ſimum*: id, inquam, Scripturis & Traditione demonſtran„ dum, non ex proprio cerebro, vaníſque ratiocinationibus, „ Chriſtianæ Reipublicæ forma effingenda erat. „ Antea dixerat Boſſuetus, ſcilicet Lib. III. Cap. 1. „ Vis *Monarchiæ* vo„ cem, noſtri ultrò amplectentur, & apertè Gerſon Primâ „ Parte Tractatûs de Poteſt. Eccleſ. Conſid. X. *Plenitudo pote„ ſtatis Eccleſiaſticæ à Chriſto collata eſt ſupernaturaliter Petro, „ ſicut Vicario ſuo & Monarchæ primo &c.* Quod factum „ eſſe docet, *ut non ſchisma fieret, ſed reductio ad unum ſupremum:*

Digitized by Google

„ *mum*: & idem ipſe noſtrique ſemper inculcant. Neque eò
„ ſeciùs ipſe & alii iisdem in locis Concilii ſuperioritatem
„ ex Conſtantienſibus Decretis vel maximè propugnant. Qua-
„ re totum illud de ſuprema poteſtate, déque Monarchiæ
„ ſtatu extra quæſtionem eſt.

Gibertus in Prolegomenis Corp. Juris Canon. Tom. I. pag. 111. „ Natura regiminis Eccleſiæ meliùs cognoſci
„ non poteſt, quàm obſervando conſiderandoque modum,
„ quo gubernata eſt per Apoſtolos, illorum diſcipulos, &
„ ſucceſſores iſtorum, uſque ad Concilia Generalia, & per
„ novem priora ſæcula, in quibus celebrata ſunt octo priora
„ hujus generis. Porro, quamdiu vixerunt Apoſtoli, Eccleſia
„ gubernata non eſt *à Petro ùt Monarcha*, ſed *ab Apoſtolis con-*
„ *junctim* cum illo, *ùt ſtatus partim Monarchicus*, *partim*
„ *Ariſtocraticus.*' Actus Apoſtolorum id teſtantur, Diſcipuli
„ Apoſtolorum illorum exemplum ſecuti ſunt.

III. Hæc ſufficiunt ad evincendum, quòd ſtatus Eccleſiæ ex divina inſtitutione non ſit purè Monarchicus, quòd, quisquis eundem ſtatum ex mixto plenè Monarchicum facere laborat, contra ſtatutum Dei attentet, quòd denique adversùs talia attentata nunquam non reclamari valeat, & res Eccleſiæ ad mentem divini inſtitutoris reduci debeant. Porro ſtatum Eccleſiæ purè Monarchicum faciunt, qui Romano Pontifici omnia & ſingula Monarchæ jura in Eccleſia tribuunt. Talia ſunt, conſtituere Papam totius Eccleſiaſticæ jurisdictionis fontem & originem; dare ei facultatem omnes Eccleſiæ Miniſtros deputandi & deſtituendi, illorúmque poteſtatem, prout ſibi expedire videbitur, reſtringendi; agnoſcere illi jus verum plenúmque ferendi leges, quibus univerſa Eccleſia & ſinguli fideles obſtringentur; item jus excluſivum omnes controverſias fidei finaliter decidendi, omniáque negotia Diſciplinæ per cunctas mundi partes regulandi, denique in omnibus cauſis Eccleſiaſticis, etiam privatorum, in ſuprema inſtantia judicandi. His & illud addendum, quòd ipſe Eccleſiæ Monarcha à nullo mortalium, ne ab ipsâ quidem Eccleſià conciliariter congregatâ,

Digitized by Google

gatâ, judicari aut corrigi valeat. Cogita & alia, atque his ſi potes, majora indefinitæ poteſtatis & Majeſtatis jura: hæc omnia & ſingula nonnulli ſummis Pontificibus tribuent, contra voluntatem Dei & Eccleſiæ.

Quid aliud quàm ejuſmodi abſolutam Monarchiam ſapit, quod tradit Benedictus PP. XIV. in Opere de Synodis Lib. I. Cap. 4. *Ratio Monarchici regiminis, quod Chriſtus in ſua Eccleſia conſtituit, videtur expoſcere, ut totius Eccleſiæ juriſdictionis fons & origo reſideat in ejusdem viſibili Capite, qui eſt Romanus Pontifex, atque ab eo profluat in cætera membra.* Quid aliud quàm eandem Monarchiam exprimit, quæ docet Ennodius Faventinus de Romani Pontificis Primatu adversùs Juſt. Febronium *pag.* 213. nempe: „ Si Rom. Pontifex accepit à Chriſto Primatum juriſdictionis non modò in *ſingulos* fideles & Epiſcopos, ſed etiam in *Synodos* quamlibet „ *œcumenicas*, poterit profectò Epiſcoporum & Synodorum „ jura coarctare, graviores cauſas judicio ſuo reſervare, integros etiam Monachorum cœtus immediatæ ſuæ juriſdictioni ſubjicere, &, ne ſingula enumerando longus ſim, eam, „ quæ nunc obtinet in Eccleſia, diſciplinam inducere.

IV. Quæ adversùm hos de mixtura *Ariſtocratiæ* cum *Monarchia* illi poſt Alliacenſem & Gerſonem tradunt, ego quidem adhuc valde incompleta & inſufficientia judico ad dignoſcendum Eccleſiæ Statum; quippe qui quoad ſingulas ſuas partes, & varias ſuorum Miniſtrorum functiones diversáque horum jura, è ſacris Canonibus, tanquam ex genuino ſuo fonte, hauriri & determinari debet, omnium autem minimè Philoſophorum ideis atque ſyſtematibus applicari, aut ex eisdem explicari valet. Attamen ea ſufficiunt ad depellendam à Capite Eccleſiæ illam notionem *abſolutæ Monarchiæ*, quam in ſuis effectibus & cum prætenſis ſuis qualitatibus jam dedimus ex Benedicto XIV. & aliis noſcendam. Cæterum ſi quis prætendat, ut *Monarcham* vocemus eum, qui Primatum inter alios tenet, haud dubium, quin Petrus ejúsque in Romana Sede ſucceſſores Monarchæ nominari poſſint. Si verò Monarchia

chia ſumatur pro auctoritate abſoluta, cui neque Epiſcopi neque Concilia ſe poſſint opponere, nego Petrum in hoc ſenſu Eccleſiæ Monarcham fuiſſe; hanc etenim Monarchiam à ſe & ſuis rejicit Chriſtus, cùm ait: *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic.*

V. Hactenus nihil memoravimus de P. Zaccaria, qui in ſuo Antifebronio Vindicato Statum Eccleſiæ paſſim profitetur *Monarchico - Ariſtocraticum*; ſed quomodo hujus notionem deinde explicet, ſeu magis eludat, accipe propriis ejus verbis. Ea hæc ſunt *Tom.* 1. *pag.* 354. „ Quanquam aliquid „ Eccleſiaſticam inter & civilem Monarchiam intereſt, ipſam „ tamen *Monarchicæ auctoritatis ſubſtantiam Eccleſiaſtici regiminis forma retinere dicenda eſt.* Ea autem Monarchici regiminis (*de ſimplici ac ſummo loquor, non de mixto*) conſtitutio eſt, ut *unus qui præeſt*, civibus cùm univerſis, tùm „ ſingulis imperet, ipſe autem nemini ſubjiciatur. Neque „ verò, *quòd Eccleſiaſticum regimen Ariſtocratiâ temperari dixerimus, quidquam officit.* Quum enim Monarchicum regimen ita Ariſtocratiâ temperatur, ut Princeps, qui *ſolus*, „ quidquid regnum, & ſubditorum omnium ac ſingulorum „ cura poſtulat, gerere per ſe ſe non poteſt, Optimates quidem creet, quibus *in ſolidum* rerum, quarum eis curam „ committit, adminiſtratio competat; ſed *hi non aliunde, quàm* „ *à Principe, hanc habeant poteſtatem*, & ab eo, ſi quando „ muneri ſuo deſint, corrigi & in ordinem redigi poſſint, „ Ariſtocratia, quemadmodum ſecundo hujus diſſertationis Capite diximus, *non ad ipſam regiminis poteſtatem*, „ *ſeu ſtatum*, pertinet, ùt in Statu mixto, ſed *ad ſolam gubernandi rationem.*

Habes hic, benevole Lector, Zaccarianum Eccleſiæ Statum *Monarchico - Ariſtocraticum*; in quo ex *Ariſtocratico* nihil ad ipſum regiminis ſtratum pertinet, tota illius poteſtas *Monarchica* eſt. Etenim ſecundum noſtrum Jeſuitam a) Monarchicæ auctoritatis ſubſtantia *ſine mixtura* in Eccleſiaſtico Regimine retinenda eſt. b) Unus (Papa ſcilicet) præeſt cùm univerſis,

Digitized by Google

tum ſingulis, ipſe verò nemini ſubjicitur. c) Cùm ſolus omnia per ſe gerere non poſſit; hinc quidem creat optimates (Epiſcopos) quibus rerum, quarum eis curam committit, adminiſtratio *in ſolidum* competat; d) ſed hi non aliunde quàm à Principe (Rom. Pontifice) hanc habent poteſtatem; ſicque e) Ariſtocratica qualitas non pertinet *ad poteſtatem* & intrinſecam *formam regiminis*, ſed tantùm *ad ejus exercitium*, ſeu modum gubernandi.

Hæc collata cum iis, quæ ſuprà *num.* 3. relata ſunt, non indigent commentario, & ſat manifeſtant Adverſarium noſtrum & ingenium ejus. Illud ſolùm nunc addimus, quòd non noſcat vim & ſenſum juridicæ clauſulæ *in ſolidum*, quam hìc valde ineptè applicavit. Nos de ea ſuo loco agemus.

Ut tamen nullus ulli de ſententia Zaccariæ circa Statum Eccleſiæ locus dubitandi relinquatur, addimus, quæ ille *cit. Tom. I. p.* 364. ex Cardinale Orſio ſua facit: „ Si Chriſtus Monar- „ chicum in Eccleſia regimen inſtituere debuit, quoniam opti- „ mum & præſtantiſſimum eſt, & ad conſervandam Reipu- „ blicæ pacem & unitatem imprimis aptum & idoneum: „ etiam talem Monarchiam inſtituere debuit, quæ maximè „ & excellentiſſimè ad hunc finem conducere videatur; cu- „ jusmodi illa eſt, quæ majeſtatem & ſummum imperium „ in unum confert, qui tuendæ Societati præſit, nec ullas „ imperii vel Majeſtatis partes populo aut ſocietati reſervat.

VI. Supereſt, ut Zaccariam novi falſi incuſem, quo ille *cit. Tom. II. p.* 182. ait, Febronium, poſtquam Tom. I. Cap. 2. §. 12. n. 6. ſtatuiſſet, nullam trium formarum Ariſtotelicarum, in Civiles Status ſeu Reſp. cadentium, Eccleſiæ convenire, nunc Tomo II. p. 381. ſententiam mutare, imò non diffiteri, quòd eam mutaverit. Utriusque aſſerti falſitas manifeſta eſt. Videantur loca ab adverſario citata. Porro dixerat Febronius *Tom. I. loc. cit.* ideo non tantùm opus non eſſe decreto ſuper determinata forma Eccleſiaſtici Regiminis, quin & abſurdas eſſe quæſtiones, Monarchia, Ariſtocratia, an Democratia Eccleſiæ conveniat? ſiquidem hæ formæ ſolùm

Digitized by Google

lùm cadant in *Status*, ſeu *Civitates*, quæ denominatio juxta Puſendorfium minimè convenit Eccleſiæ.

In his duo carpit Adverſarius: primum, quòd hoc loco Febronius utatur auctoritate viri Proteſtantium ſacris addicti, licèt cæterà celebris; non reflectens, quod ipsémet eodem ſuo Tomo primo, atque in eadem materia, pluries eundem Puſendorfium pro ſe citet, notanter *pag. 338. pag. 355. pag. 364.*

Deinde multùm ei diſplicet, quòd *Eccleſia* negatur eſſe *Status*; non advertens, deminationem Statûs propriè pertinere ad civiles Resp. earúmque territoria. Sic dicuntur Status Imperii Germanici; Status Fœderati Belgii, germanicè die General-Staaten; imò Status Pontificius, der Päbſtliche Staat. Sed de his jam actum Diſſert. I. Cap. 2. n. 2.

P. Zaccaria., qui Tomo I. ſui Antifebronii italici pag. 4. ſeqq. multo inutilis litteraturæ diſpendio probaverat, *Eccleſiam eſſe Statum*, ſanè non *Civilem*, nolens hanc perdidiſſe operam, conatur lectoribus falsò perſuadere, quaſi Febronius, doctis ſuis argumentis motus, mutaverit ſententiam, quâ ſuſtinuit, & etiamnum ſuſtinet, nullam inter Statum *Civilem* & *Eccleſiaſticum* eſſe relationem quoad formam, nullam ſimilitudinem; proinde non niſi cum abſurditate formas Statuum Civilium ſeu Rerumpublicarum, Regnorum & Imperiorum, trahi ad Eccleſiam, quæ ſuis regitur Canonibus, non Philoſophorum & Politicorum principiis, conformiter ad illud S. Ambroſii Lib. I. de Fide Cap. 13. *Credimus Piſcatoribus, non Dialecticis.* Quare Lector hic iterum monendus eſt, quòd, dum virorum eruditorum ſententias recenſeo, qui Eccleſiæ formam *Monarchico-Ariſtocraticam* tradunt, non id eo fine ac conſilio agam, quaſi hanc formam approbem, ſed ut Patris Zaccariæ & Sociorum ejus *abſolutam regiminis monarchici poteſtatem* à Papatu & ejus jure excludam.

VII. Ex eo, quòd Chriſtus ſuis Apoſtolis & Diſcipulis dixit, *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic*, concluſi, Monarchiam Eccleſiæ, ſi talis datur, ex Salvatoris

Digitized by Google

noſtri inſtituto à Monarchia ſæculi penitùs diſtare, neque in ullam cùm hac comparationem venire. Hoc ſi negent adverſarii, quæſo ex eis, an ſic ſe habeat Papa reſpectu cujuslibet Clerici, quemadmodum Rex reſpectu cujuslibet ſæcularis; an talis Papa reſpectu Epiſcoporum, qualis Rex quilibet reſpectu ſuorum Magiſtratuum: an, ſicut Rex coarctare & reſtringere pro libitu poteſt jurisdictionem Senatorum, ita penes Papam jus ſit pro ſuo arbitratu coarctandi & reſtringendi jurisdictionem Epiſcoporum.

Cæterùm quo vero ſenſu Monarchia in Eccleſia exiſtat, ex Cardinale Polo dictum eſt *Tom. III. Febr. pag.* 205.

CAPUT II.

Eccleſiæ claves à Chriſto immediatè datæ ſunt; ea per hoc ſubjectum proximum ſacræ poteſtatis effecta eſt. Nova ſpecimina Zaccariani ingenii.

I.

Cùm poteſtas Eccleſiæ ſive Concilii Generalis cum poteſtate Papæ comparatur, ſolet à Theologis ſic inſtitui quæſtio, utri proximiùs & immediatiùs poteſtatem à ſe in Evangelio inſtitutam Chriſtus contulerit, Eccleſiæne, an uni & ſoli Petro? Noſtra & præcipuorum Theologorum, atque communior ſententia eſt, Chriſtum immediatè & per ſe ſe claves toti Eccleſiæ collectim ſumptæ dediſſe, adeoque ſubjectum, ùt loquuntur, immediatum Eccleſiaſticæ poteſtatis non eſſe Papam, aut Prælatos, ſed totam Eccleſiam; ita tamen, ut per Prælatos jus clavium exerceatur.

Firma hæc fuit à ſæculis doctrina, conſtanter defenſa à *Guillelmo Durando*, ab *Alliacenſi*, *Gerſone*, *Almaino*, *Majore*, *Gervaſio*, *Arnaldo*, *Choiſelio Tornacenſi*, *Colberto Monſpellienſi*, *Natali Alexandro*, *Petro de Marca*, *Jo. Petro Giberto*, præ-

præſertim verò à magno *Boſſueto Meldenſi Epiſcopo*; item ab *Andrea Escobar*, *Joanne de Segovia*, *Alphonſo Toſtato*, *Dominico Soto*, *Martino Navarro*, *Didaco Payva*, *Petro & Alphonſo Guerrerio*, *Didaco de Alava*, *Antonio Periera*; à *Panormitano*, Card. *Zabarella*; à *Bartholomæo Brixienſi* Gloſſatore; ab *Antonio de Roſellis*, *Nicolao Cuſano*, *Dionyſio Carthuſiano*, *Jacobo de Paradiſo*, *Joanne Ekio*; ab Univerſitatibus, *Conimbricenſi*, *Pariſienſi*, *Viennenſi*, *Erfordienſi*, *Colonienſi*, *Cracovienſi*; &, ut alios prætermittam, à *trecentis Patribus Synodi Baſileenſis*.

Fruſtra à nobis quis exſpectabit, ut communem hanc ſententiam novis argumentis roboremus. Sufficiunt abundè, quæ à præſtantiſſimis his Scriptoribus, quos Febronius ſecutus eſt, litteris conſignata ſunt; illud ſupereſt, ut ſatisfiat quibusdam objectionibus, quas noviſſimi impugnatores Febronii huic oppoſuêre. Interim ex jam dictis ſat intelligitur, ſummis quibusque non ſolùm in Gallia, ſed etiam in Hiſpania & Germania, imò & magnis in Italia viris probata eſſe, quæ hìc de Clavibus Eccleſiæ & de ſubjecto proximo ac immediato Eccleſiaſticæ poteſtatis traduntur, proindéque Joſephum Kleiner Soc. J. Franciſcum Antonium Zaccariam ejusd. Societ. Viatorem à Cocaleo Capucinum, Petrum Ballerinium Lectoribus egregiè imponere, dum unum *Richerium* Febronio hac in parte præluxiſſe fabulantur.

II. Hæc dum tractant Theologi, non eſt quæſtio, an ad Petrum *proximè* & *immediatè* dixerit Chriſtus: *Tibi dabo claves regni cælorum*; *Paſce oves meas.* Nemini quippe in mentem venit dubitare de eo, quod eſt in Evangelio apertiſſimum. Sed quæſtio eſt, an verbis illis Petrum allocutus, Petri *ipſius ſingularem perſonam*, an verò *perſonam alterius*, cujus Petrus typus eſſet, propriè reſpexerit Dominus. Cauſam definire videtur S. Auguſtinus pluribus locis; & imprimis quidem de Agone Chriſtiano Cap. 30. ubi: *Non ſine cauſa inter omnes Apoſtolos bujus Eccleſiæ Catholicæ perſonam ſuſtinet Petrus. Huic enim Eccleſiæ claves regni cælorum datæ ſunt, cùm Petro*

Digitized by Google

datæ ſunt: *& cùm ei dicitur*, *Amas me*, *paſce oves meas.* Item Sermone 145. aliàs 24. de Diverſis*: Petrus multis in locis Scripturarum apparet*, *quòd perſonam geſtet Eccleſiæ*, *maximè in loco*, *ubi dictum eſt: Tibi trado claves regni cœlorum &c.* Magis adhuc decretorium eſt illud ejuſdem Patris Tractatu 108. in Joannem: *Cùm omnes eſſent interrogati*, *ſolus reſpondit*, *Tu es Chriſtus; Et ei dicitur*, *Tibi dabo &c. tanquam ligandi ac ſolvendi ſolus acceperit poteſtatem*: *Cùm & illud unus pro omnibus dixerit & hoc cum omnibus*, *tamquam perſonam gerens ipſius unitatis acceperit*: *ideo unus pro omnibus*, *quia unitas eſt in omnibus.* Hoc ipſum multis aliis in locis ita frequenter conſtantérque docuit Auguſtinus, ut illud meritò tanquam Auguſtini certum atque indubitatum dogma adversùs Ultramontanos paſſim Galli urgeant. In horum ſequelam Patres Concilii generalis Piſani in Epiſtola convocatoria ad Antipapam Petrum de Luna an. 1408. apud Von der Hardt Tom. II. pag. 82. *Eccleſiæ unitati Claves à Chriſto conceſſæ ſunt.* Et Card. Zabarella Tract. de Schiſm. p. 559. „ Id quod dicitur, quòd Papa habet plenitudinem poteſtatis, „ debet intelligi *non ſolus*, ſed *tanquam apud univerſitatem.* „ Ita quòd ipſa poteſtas eſt *in ipſa univerſitate tamquam in* „ *fundamento*; & *in Papa tamquam in principali miniſtro*, „ per quem hæc poteſtas explicatur.

III. Vix enuntiari poteſt, quàm infirma ſint, quæ adversùm hæc protrudit D. Kauffmans Colonienſis Profeſſor in ſuo Apologetico adversùs Juſt. Febronium *Diſſertat. I. toto* §. *6.* Imprimis enim ait *a*) *paradoxam* eſſe aſſertionem, quaſi noſtra de Clavibus Eccleſiæ ſententia *ſit communis Gallorum atque perpetua.* Pari modo Ennodius Faventinus pag. 21. eam Febronii *impoſturam* eſſe audacter pronuntiat. Veram econtra eſſe hanc Febronii aſſertionem, cumulatè teſtantur Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ. Tom. VIII. Diſſert.* 8. *pag*, 527. Ill. Boſſuetus *Lib. XIII. Cap.* 14. & alii infrà num. 4. nominandi, qui omnem in præſenti cauſa fidem merentur. *b*) Citat ille adversùm nos valde imprudenter ex Card. Alliacenſi, (qui

(qui totus quantus pro noſtra ſententia militat in Tractatu *de Eccleſiæ, Concilii Generalis, Rom. Pontificis & Cardinalium autoritate Tom. II. Gerſon.*) locum ad hanc quæſtionem minimè pertinentem. *c*) Toſtatum Abulenſem Epiſcopum (qui propter eminentem ſcientiam *Stupor mundi* communiter vocatur, quémque hoc titulo omni jure dignum memorat Natalis Alexander cit. Tom. VIII. pag. 170.) ait, *quaſi quendam Scholaſticum minorum gentium ineptè ſuam ſententiam involvere ſermonibus imperitis.* Hoc an ita ſit, judicet Lector prudentior, æquior ac doctior. Sanè Nat. Alexander eod. Tom. VIII. pag. 527. præſentem quæſtionem à Toſtato *egregiè explicari* aſſerit. *d*) Pergit Doctor Colonienſis, dicens, nemini aliorum hominum, *præter Petrum*, de clavibus, de officio paſcendi oves, Chriſtum eſſe locutum; Tertullianum dicere, *Claves Petro, & per eum Eccleſiæ à Domino relictas eſſe:* inde potiùs concludendum, à Petro ad multitudinem, quàm inde ad Petrum claves tranſiiſſe. Sic diſſerens Profeſſor Ubius, *Rabulæ* nomen promeritus eſt ab Æenea Sylvio, qui in *Libro de Geſtis Concilii Baſileenſis pag. m.* 776. poſt relatum locum S. Auguſtini, quem ex Libro de Agone Chriſtiano paulò antè deſcripſimus, hæc ſubjungit: „ Quibus ex „ verbis *rabularum* noſtrorum fundamenta concutiuntur ac pe„ nitus enervantur; quoniam, *ſi perſonam Eccleſiæ Petrus* „ *ferebat*, non Petro, ſed Eccleſiæ vim illorum verborum „ debemus adſcribere. e) Porro quærit ille, ubi multitudo ſeu collectio credentium ſummo Pontifici & Miniſtris ſuam commiſit poteſtatem? Reſpondeo: hoc facit Eccleſia per electionem, confirmationem & conſecrationem Epiſcopi, per ordinationem Sacerdotis. Sic S. Auguſtinus Enarrat. in Pſal. 44. *Quid eſt*, inquit, *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii? Patres miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filii nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi; hodie enim Epiſcopi, qui ſunt per totum mundum, unde nati ſunt? Ipſa* ECCLESIA *patres illos vocat*: IPSA ILLOS GENUIT (per ordinationem Epiſcopalem) & *ipſa illos conſtituit in ſedibus Patrum* (Apoſtolorum) *Non ergo te putes deſertam,*

tam, qui non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos, per quos nata es; de prole tua tibi crevit paternitas &c. f) Diſtinguenda, inquit, eſt ſignificatio clavium, cui perſonale Petri privilegium innititur, & ſignificatio accommodatitia clavium, cui cujuſvis Confeſſarii facultas innititur; neque enim eſt eadem clavium ſignificatio intenta à Chriſto Petrum alloquente, quæ quibuſcunque ſacramenti Pœnitentiæ miniſtris tribuitur à Ss. Patribus & Theologis. Sanè diverſi ſunt in Eccleſia ſicuti gradus Ordinum, ita gradus poteſtatum, quæ clavibus ſignificantur; has ſingulis partitur & tribuit Eccleſia conformiter ad inſtitutum Chriſti: aliam obtinet Pontifex quà Primas Eccleſiæ, aliam Epiſcopi, aliam Sacerdotes &c. Hos omnes & ſingulos (maximè autem Epiſcopos, tam reſpectu ſuarum diœceſium, quàm reſpectu Eccleſiæ univerſæ) Chriſtus hominibus ad fidem vocatis propoſuit, ut ab eis regerentur in Fide & Diſciplina. Atque ita Communitas, Univerſitas, Eccleſia, nihil minus ſunt (quod prætendit adverſarius) quàm ideæ abſtractæ, nihil indicantes viſibile, acceſſibile. g) Denique fruſtra, ait ille, quæram, cujus ſit determinare in caſu particulari, an caſus talem habeat hypotheſin, ut Concilium Generale, vel etiam, ſi redivivi ſederent in cathedra Petri S. Linus vel S. Leo, diſpenſarent. Nobis facillima eſt ad hanc quæſtiunculam reſponſio, qui non ignorantes, quòd Chriſtus Epiſcopos poſuerit regere Eccleſiam Dei, novimus ad illorum officium pertinere, ut diſpiciant, num ab ipſis diſpenſandum ſit, vel an impetrata Romæ diſpenſatio ſit conformis ſacris Canonibus ſpiritu Dei conditis; ad quorum normam Generalia Concilia & primorum ſæculorum ſancti Pontifices ſuas diſpenſationes & reliquas actiones ſolebant dirigere. Vix non tædet tam futilia refutâſſe.

IV. Non multò validiora ſunt arma, quibus à Petro Ballerinio pugnatur. Is in ſuis Vindiciis auctoritatis Pontificiæ contra Opus Juſt. Febronii *pag.* 1. ita diſſerit: „ Hæc Juriſ„ dictio Petro & Apoſtolis immediatè tradita fuit in ædifica„ tionem & bonum Eccleſiæ; at tradita antequam Chriſtus in

„ in cœlum aſcenderet; & antequam ab iisdem Apoſtolis ipſa „ ædificaretur Eccleſia: ac proinde dici non poteſt immediatè „ collata eidem Eccleſiæ, quæ nondum ab illis erat ædificata; „ nec ita Petrus & Apoſtoli eam acceperunt ab Eccleſia. „ Verùm ex Auguſtino ſat probatum putamus, Petrum, cùm ei claves à Chriſto traderentur, geſſiſſe perſonam Eccleſiæ, quæ eo tempore in ſolis Apoſtolis & Diſcipulis Domini conſiſtebat. Unde equidem neque Petrus, neque Andreas, neque Jacobus claves *ab Eccleſia* acceperunt; ſed poſtquam ipſi cum iis, qui tunc Eccleſiam conſtituebant, easdem *immediatè & collegialiter à Chriſto inſtitutore* obtinuiſſent, illas in & cum Eccleſia, quæ non moritur, ad ſucceſſores transmiſerunt. *Si ſuper unum illum Petrum tantùm exiſtimas ædificari totam Eccleſiam, quid dicturus es de Joanne filio tonitrui, & Apoſtolorum unoquoque? ---- Quòd ſi dictum hoc, Tibi dabo claves regni cœlorum, cæteris quoque commune eſt, cur non ſimul, & quæ priùs dicta ſunt, omnium communia?* Ita Origenes Tractatu I. in Matthæi Caput XVI.

Pergit de hac Clavium materia ulteriùs differens Ballerinius *pag.* 165. in Febronium ita invehere: „ Hoc principium de clavibus immediatè traditis ipſi Eccleſiæ eo ſenſu „ acceptum, quo *Eccleſiæ* nomine omnes non ſolùm Clerici, „ ſed etiam *laici* atque *mulieres* ad Eccleſiæ corpus pertinen„ tes comprehendantur, omnibúſque clavium poteſtas imme„ diate tradita judicetur, falſiſſimum & damnatum ab Eccleſia, „ Febronius vindicare non poterit. „ His neque motus neque territus ſuſtinere audeo, Eccleſiæ nomine licèt Epiſcopi & Presbyteri *præcipuè* intelligantur, optimè tamen dici poſſe, imò debere, *claves* ECCLESIÆ UNIVERSITATI, ùt loquitur Auguſtinus, *datas eſſe*, quæ ſcilicet per ejus Miniſtros exerceantur. Unde licèt nulli præterquam Epiſcopi & Presbyteri poteſtatem exercendi claves habeant, ea tamen in univerſa reſidet Eccleſia, quo nomine in Sacris Litteris non Sacerdotes ſoli, ſed univerſus fidelium cœtus intelligitur. Hoc ſenſu Petrus de Marca Diſſert. de Forma regiminis à Chri-

ſto inſtituta Num. XII. *Mihi videtur poteſtas data Eccleſiæ, id eſt Corpori myſtico Chriſti*, QUOD CONSTAT EX EPISCOPIS & PLEBE FIDELI. Et longè ante illum Almainus de Auctoritate Eccleſiæ & Conciliorum Generalium Cap. VI. Tom. II. Gerſon pag. 987. *Chriſtus hanc poteſtatem immediatè contulit Eccleſiæ*, CAPIENDO ECCLESIAM PRO COLLECTIONE OMNIUM FIDELIUM. Gloſſator Gratiani in Cap. *A recta*. 9. Quæſt. 1. Caus. XXIV. *Quæro, de qua Eccleſia intelligas, quod hic dicitur, quòd Eccleſia errare non poteſt?* IPSA CONGREGATIO FIDELIUM HIC DICITUR ECCLESIA. An dices, hos damnatis ab Eccleſia erroribus aliis præluxiſſe, alios tam graviter errantes eſſe ſecutos? Confer cum his ea, quæ diximus Differt. I. Cap. 3. n. 3.

V. Scio, Theologorum ultramontanis opinionibus addictorum antiquam cantilenam eſſe, ut, ubi ab aliquo viderint ſpiritualis poteſtatis proximum & immediatum ſubjectum non in Pontifice, ſed in Eccleſia collocari, ſtatim vociferentur (uti hic facit Ballerinius) ſubjici ab illo *laicorum communitati & mulierculaγrum arbitrio* omne exercitium, omnem executionem ipſius poteſtatis. Sed nemo non videt, nodum in ſcirpo quæri, dum propoſitioni noſtræ, *Eccleſiam, quæ in congregatione omnium fidelium conſiſtit, poteſtatem clavium tenere*, hæreticus ſenſus adſcribitur. Etenim quilibet rectè audiens facilè intelligit, ſenſum illius eundem omnino eſſe, quo Cyprianus Epiſt. 73. dixit: *Eccleſia eſt, quæ tenet & poſſidet omnem Sponſi ſui & Domini poteſtatem*: Eundem omnino, quo dixit Auguſtinus Sermone 108. *Columba ligat, columba ſolvit*; *ædificium ſupra petram ligat & ſolvit*. Item ibid. *Claves non homo unus, ſed unitas accepit Eccleſiæ.* Nempe ut eo modo dicatur Congregatio omnium fidelium eſſe domina clavium, quo dici poteſt domina Sacerdotii, Epiſcopatûs, Pontificatûs, & Sacramentorum omnium. Iſtorum autem omnium domina eatenus dicitur Congregatio omnium fidelium, quatenus iſta omnia à Chriſto Sponſo ac Domino ſuo accepit, per idoneos miniſtros diſpenſanda. Si vis ad logicam ſimul & theologiam li-

mare

mare dictum Febronii, pone, *ſubjectum denominationis* quoad quamcunque ſacram poteſtatem eſſe Eccleſiam communiter, *inhæſionis autem ſubjectum* Hierarchas ſolos: hoc ſenſu ille locutus eſt, hoc ſenſu loquor ego: capiant hoc ſibi, & abeant, nihil poſthac de verbo hoc cavillaturi Kauffmanii, Ballerinii, Ennodii, Zaccariæ.

Quæ Ennodius Faventinus in Diſſertatione Critica de Romani Pontificis Primatu adversùs Juſt. Febronium *pag.* 21. *ſeqq.* huic circa quæſtionem de Clavibus Eccleſiæ immediatè datis opponit, ea pro parte in præcedentibus jam evacuata ſunt; quod reliquum eſt, in ſequentia redigi poteſt. Scilicet S. Gregorius M. *Lib.* XII. *Epiſt.* 24. nec non *Lib. II. Epiſt.* 41. *&* 78. aliiſque Patres affirmant, claves datas eſſe Petro, eique totius Eccleſiæ curam commiſſam. Igitur Petrus immediatè claves accepit; neque aliam ob cauſam Eccleſia eas accepiſſe dicitur, niſi quia eas accepit Petrus, Eccleſiæ Princeps & Caput, cui ipſius Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Deinde conſtans Auguſtini dogma eſt, Petrum, quando claves accepit, géſſiſſe figuram & perſonam Eccleſiæ, non ùt *Miniſter* ab Eccleſia delegatus, ſed ùt Eccleſiæ *Princeps*, à Chriſto ipſo conſtitutus. Hac ratione idem S. Pater in Pſal. 108. n. 1. *Quædam dicuntur*, inquit, *quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videntur, nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cùm referuntur ad Eccleſiam, cujus ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam* PROPTER PRIMATUM, *quem in diſcipulis habuit, ſicut eſt: Tibi dabo claves regni cœlorum, & ſiqua hujusmodi.* Unde Faventinus arguit, & alii ante eum arguerunt, ex ſententia Auguſtini ,, Petrum tanquam ſupremum Caput *repræſentâſſe* Eccleſiam, eo modo, quo caput domûs repræſentat familiam, & Rex repræſentat regnum. Verùm fallaciam jam obſervavit Boſſuetus *Lib. XIII. Cap.* 19. in eo, quòd *figurandi* verbum ab Auguſtino perpetuò & diligenter uſurpatum, adverſarii pro *repræſentando* ſumant. Sanè placuit Chriſto Eccleſiam in Petro figurari, ùt in Principe & Primate; at eo ſenſu à Petro repræſentari Eccleſiam, *quo ejus*

vim omnem poteſtatémque ùt inſitam ſibi præſentémque concludat, quod Concilio Univerſali proprium, non ipſe Auguſtinus, non quiſpiam alius è Sanctis Patribus cogitabat.

VI. Non magis nos urget, quod ex Baſileenſibus Patribus P. Viator à Cocaleo *Tom. III. nel Richiamo contro la lettera di Giuſtin Febronio &c. pag. X.* opponit ex fide Tournelii: nempe proteſtatos illos eſſe in quadam Reſponſione ſua Synodali ad objecta Archiepiſcopi Tarentini: „quòd ſummus „ Pontifex Caput ſit & Primas Eccleſiæ, Vicarius Chriſti, „ & à Chriſto, non ab hominibus vel Synodis aliis prælatus, „ & Paſtor Chriſtianorum, & ei datæ ſint à Domino cla- „ ves, & uni dictum: *Tu es Petrus*; & ſolus in plenitudi- „ nem poteſtatis vocatus ſit, aliis in partem ſollicitudinis, & „ multa hujuſmodi; quæ cùm vulgatiſſima ſint, minimè ne- „ ceſſarium erat recenſere. Iſta planè fatemur & credimus, „ operámque in hoc ſacro Concilio dare intendimus, ut „ omnes in eamdem ſententiam credant. „ Hæc ſub diſtinctione ſensùs *diſtributivi* (de qua mox) accepta nemo Catholicorùm inficiatur; in ſenſu autem *collectivo* à Baſileenſibus Patribus admiſſa & vera credita non probabunt adverſarii; niſi priùs oſtenderint, eorundem Patrum opus non eſſe Decreta ſecundæ & decimæ ſextæ Seſſionis ejuſdem Concilii, in quibus Conſtantienſia Decreta de ſuperioritate Conciliorum Generalium apertè confirmantur: non eſſe item Baſileenſium Patrum opus Reſponſionem illam alteram, quæ incipit *Cogitanti* apud Harduinum *Tom. VIII. pag.* 1317. ubi hæc diſertè leguntur: „ Etſi Papa *major* ſit *in Eccleſia*, non tamen *major* „ eſt *totâ Eccleſia.* Uni autem quare dictum eſt, *Tibi dabo* „ *claves regni cælorum*, Sancti Doctores exponunt, ut unita- „ tem deſignaret Eccleſiæ: & ideo exordium ab unitate pro- „ ficiſcitur, ut Eccleſia Chriſti una eſſe demonſtraretur: & „ Petrus, quando claves accepit, ùt dicit Auguſtinus, Eccle- „ ſiam ſignificavit. *Ipſa enim Eccleſia unus eſt Princeps; &* „ *unitati fidelium, non ſingulis, hæc juriſdictio à Domino con-* „ *ceditur &c.* „ Hæc illi anno 1432. hoc eſt ſub ipſa ferè initia

Digitized by Google

initia Concilii Præſide Juliano Cardinale, à Martino V. & Eugenio IV. deſignato.

VII. Ex Florentino Concilio nobis etiam objiciunt Sangallo Cap. IX. n. 9. & 10. Kauffmans Diſſert. V. §. 4. n. 23. ſeqq. *Romano Pontifici in B. Petro plenam poteſtatem traditam eſſe paſcendi, regendi & gubernandi univerſalem Eccleſiam.* Sed hac Florentinâ definitione nihil moveri Gallos, qui poſt celebratam Florentinam Synodum ſcripſerunt, oſtendit Boſſuetus *Lib. I. Cap. 2. & 3. Lib. X. Cap. 10. & 11.* Ut nihil memorem ſive de Gallis ſive de Hiſpanis, qui doctrinam de Superioritate Concilii in Synodo Tridentina propugnâſſe memorantur. Illud non omittam, quòd Andreas Duvallius Pariſienſis Doctor, initio ſuperioris ſæculi nominatiſſimus (de quo plura memoravimus Diſſert. I. Cap. 3. *n. 6.* qui inter Theologos Pariſienſes antiquæ ſententiæ abolendæ primus auctor extitit, & Cardinalis Perronii inſtinctu Pontificiam infallibilitatem & ſuperioritatem in Libro *de ſuprema Rom. Pontificis Poteſtate* acerrimè propugnavit: ubi ad Florentinum Decretum ventum eſt, mentem ſuam hoc modo aperuerit: „Satis conſtat Concilium Florentinum auctoritatem Papæ ſupra „ Concilium non definiviſſe. Nam etſi definiat, eum eſſe „ Chriſti Vicarium, totius Eccleſiæ Caput, & à Chriſto illi „ traditam poteſtatem regendi Univerſalem Eccleſiam; *hoc tamen nemo eorum, qui contrà ſentiunt, negat.* Illum enim „ habere in Eccleſia poteſtatem univerſalem, ubique locorum „ diffuſam admittunt, & omnium Chriſtianorum Patrem ac „ Doctorem eum agnoſcunt. Sed contendunt, Concilium non „ propterea definiviſſe, eum in Eccleſiam Univerſalem, quatenus eſt legitimè congregata, & eſt in Concilio aliquo „ Generali per ſuos Prælatos unita & conſentiens, poteſtatem „ habere: tunc enim, inquiunt, Eccleſia Univerſalis eſt totum quoddam, in quamlibet ſuî partem etiam præcipuam, „ qualis eſt Romana Eccleſia, auctoritatem habens: ideoque, „ cùm nomen hoc *Univerſalis Eccleſia* dupliciter ſumatur, *diſtributivè* quidem pro omnibus Eccleſiis per orbem diffuſis;

Digitized by Google

„ & *collectivè*, id eſt, pro Concilio Generali; priori modo „ ajunt, Concilium Florentinum definiviſſe, Summum Ponti„ ficem in Eccleſiam univerſalem habere auctoritatem, non „ tamen poſteriori. „ Vide Boſſuetum *cit. Lib. I. Cap. 3.*

Duvallio alium eúmque recentiorem addemus Sorbonæ Doctorem, Petrum Colletum, in ſuis Inſtitutionibus Theologicis ad uſum Seminariorum editis *Tom. II. Tract. de Eccleſia Quæſt. III. p. m.* 517. ita ſcribentem: „Stat quidem apud „ nos Gallos firma Conciliorum Conſtantienſis & Baſileenſis „ autoritas; immota pariter manent eorum Decreta pro ſu„ perioritate Concilii ſuprà Pontificem: at cùm ab omnibus „ pariter pro verè œcumenicis ea non habeantur, mirum eſ„ ſe non debet, ſi multi ab hac doctrina recedant, quos ab„ ſit, ut tanquam Hæreticos traducamus. Falsò ſupponitur à „ Concilio *Florentino* rejectum dogma Concilii *Conſtantienſis* „ de ſuperioritate Concilii ſuprà Pontificem; id equidem fe„ cit *Lateranenſe* Concilium, at illud minimè *inter œcumenica* „ recenſemus. „

VIII. Quibuscum nobis hactenus ſermo fuit, Godefridus Kauffmans, Petrus Ballerinius, Ennodius Faventinus, Viator à Cocaleo, Jul. Antonius Sangallus, illi dubia ſua & objectiones ſobriè, honeſtè, bono fine, videlicet ad eruendam veritatem, quisque pro modo ſuo, propoſuerunt. P. Zaccaria econtra, quod eſt viri ingenium, cavillis utitur, non ad veritatem declarandam, ſed ad fallendos ignaros & minùs attentos. Prægustaverit id jamtum Lector ex iis, quæ Diſſert. I. Cap. 3. de præſenti materia retulimus.

Præter ea, quæ ex aliis hoc Capite jam relata & refutata ſunt, quæque noſter Jeſuita magnâ parte repetit, ille Antifeb. vindicati Tomo I. pag. 257. ſeqq. non exiguo labore conatur oſtendere, Febronium in materia de Clavibus non convenire cum Gallis, quos tamen ille ſibi Duces ac Magiſtros, ùt ait, elegit. Differentias inter illum & hos ponit ſequentes:

Primò

Primò ait *pag.* 257. „*Galli* ſtatuunt, claves fuiſſe Petro „ *immediatè* datas à Chriſto, non tamen *ſoli*, ſed etiam *unitati*, Apoſtolis ſcilicet eorúmque ſucceſſoribus Epiſcopis. „ *Febronius* econtra: Claves Petro promiſſas, deinde Diſcipu- „ lorum Collegio ſeu univerſitati traditas, ſpiritum veritatis „ neque *uni Petro* promiſſum neque datum, ſed communica- „ tum omnibus ſimul Apoſtolis, id eſt *Eccleſiæ regenti*; cla- „ ves univerſali Eccleſiæ, ſeu Petro & Apoſtolis eorúmque „ ſucceſſoribus à Chriſto *peræque* traditas fuiſſe - - - Verum „ quidem eſt, quòd addat *ſalvo Primatu Petri.* Sed quid de- „ mum eſt ex ejus ſententia Petri primatus? audiamus illum „ Tomo I. Cap. 2. §. 4. pag. 105. *Qualis in Senatu eſt Præ-* „ *ſes, talis propemodum in Collegio Apoſtolorum Petrus &c.* „ --- Aliter ſcripſiſſe Gallos, atque inter hos Natal. Alexan- „ drum Hiſt. Eccleſ. Sæc. I. Diſc. 4. §. 3. nempe: *Cæteris* „ *Apoſtolis datæ ſunt claves cum dependentia à Petro, & cum* „ *ſubordinatione ad ipſum* &c. Atque hinc, ait *pag.* 260. al- „ terum animadvertatur velim *Febronianæ* doctrinæ à *Galli-* „ *cana* diſſidium.

„ Quære ex *Febronio* (ſic ille *pag.* 261.) cur à Chriſto „ datæ *Petro* ſint claves? Reſpondebit cum *Gallis*, quia Ec- „ cleſiam repræſentabat. Urge illum, quo *Petrus* nomine „ Eccleſiam repræſentaret? Legatine an Vicarii Eccleſiæ, an „ Principis? Hic *Febronius Gallos* deſerit (en tertium *Febro-* „ *nianæ* à *Gallicana* ſententia diſcrimen). *Galli* enim *Pe-* „ *trum* ùt Eccleſiæ Principem, atque adeo Monarcham totius „ Eccleſiæ geſtaſſe perſonam conſentiunt - - - - - Quid verò „ *Febronius*? Quærit item, inquit ille Tom. II. p. 186. P. „ Sangallo, An Petrus Legatus, ſeu Vicarius Eccleſiæ fuerit, „ quando accipiebat claves? Audiamus reſponſum, Reſpon- „ deo cum eodem Auguſtino Tract. 124. in Joh. *Eccleſia,* „ *quæ fundatur in Chriſto, claves ab eo regni cælorum accepit* „ IN PETRO, *id eſt poteſtatem ligandi ſolvendique peccata.* „ Item Sermone 295. de diverſis al. 108. Solus Petrus *to-* „ *tius Eccleſiæ meruit geſtare perſonam.* Propter ipſam perſo-
nam,

Digitized by Google

„ nem, quam totius Eccleſiæ ſolus geſtabat, audire meruit: „ Tibi dabo claves regni cœlorum: Has enim claves *non* „ *homo unus*, *ſed unitas accepit Eccleſia*. Ejusdem ſententiæ „ ſunt SS. Cyprianus, Hieronymus, Leo M., Ven. Beda, alii „ Patres. At hoc ipſum quærebat P. Sangallo, quæſivi & „ ego, iterúmque quærimus, accepitne Eccleſia claves in Petro „ ceu *Legato* ſuo & *Vicario*, an in illo ùt *Principe*? Geſtavitne Petrus totius Eccleſiæ perſonam, ùt *legatus*, an potiùs ùt Eccleſiæ *Princeps*? Heic *Febronius* obmuteſcit. O „ præclarum reſponſum! RESPONDEO. Verebatur ſcilicet, „ ne, ſi *Legatum* dixiſſet, ab ipſis *Gallis*, quorum auctoritate „ ſe ſe protegit, acriter reprehenderetur, ſin autem *Principem* appellâſſet, ſecum ipſe pugnaret - - - - - En quot nominibus à Gallicana ſententia *Febronius* diſcrepet.

Pag. 268. „ Patres ſæpe monent, fuiſſe claves *Petro* „ datas, ut *repræſentanti univerſam Eccleſiam*. Id ipſum ſuprà audivimus Febronium inculcantem. At ex *Natali* ac „ *Febronio* ſciſcitari placet, quid demum reſponſuri eſſent *Richerianis*, *Quesnellianis*, immo & *Calvinianis*, qui univerſo fidelium cœtui, *ne laicis quidem excluſis*, claves à Chriſto creditas jactant, quod Auguſtinus aliique Patres Petrum „ ajunt tunc totius Eccleſiæ geſtâſſe perſonam. Profectò ſi adnuerent; non ampliùs cum Gallis, qui etiam poſt declarationem an. 1682. ſe ſe Catholicos prædicant, ſed cum damnatorum ab ipſa Gallicana Eccleſia Scriptorum grege ſentirent - - - - Eatenus Eccleſiæ poteſtatem traditam fuiſſe Patres intelligunt, quòd perpetuò habeat illa ſucceſſores poteſtatis ac dignitatis iſtius - - - - - Accedit & alia cauſa, cur „ Patres *figuram* Eccleſiæ in *Petro* claves accipiente prædicarint; volebant videlicet intelligi, veram Eccleſiaſticam jurisdictionem non inveniri niſi in Eccleſia, & unitate cum „ *Petro*, quem Chriſtus Eccleſiæ caput, centrúmque unitatis „ conſtituit. „ Hactenus Zaccaria.

IX. Jam tentaverat ille in ſuo *Antifebronio* Febronium cum Gallis committere. Quàm id ei ſucceſſerit infeliciter, videri

deri poteſt *Tom. II. Febr. pag.* 531. *ſeqq.* Vereor, ut nunc ſit felicior in ſuo *Antifebronio Vindicato.* Itaque ad Primum. Doctrinam ſuam *de Clavibus* Febronius non involvit verbis dubiis, aut obſcuris; ſed, quam profeſſus eſt, præfixit Tomo I. in rubrica Capitis I. §. 6. his verbis: *Poteſtas Clavium univerſitati Eccleſiæ à Chriſto data eſt; illam hæc per Miniſtros ſuos exercet, inter quos Romanus Pontifex primarius eſt.* Hanc eſſe Gallicanæ Eccleſiæ & Sacræ Facultatis Pariſienſis ſententiam, ibid. inter alia aſſeruit teſtimonio Natalis Alexandri; neque putem ullum Theologum Gallum eſſe, qui eidem ſententiæ repugnet, quamvis diverſimodè ſe ſe enuntient. In hac Clavium ſeu ſacræ poteſtatis traditione, non eſt dubium, quin quiſque Miniſtrorum Eccleſiæ acceperit partem ſuo ordini ac miniſterio convenientem: aliam Petrus & ejus in Primatu ſucceſſores; aliam Apoſtoli & eorum ſucceſſores Epiſcopi; aliam Diſcipuli Domini, & qui in horum locum ſuccedunt Presbyteri. Sicque verum eſt, omnibus *peræque* claves datas eſſe, quamvis non æquis portionibus. *Numquid iſtas claves Petrus accepit, & Paulus non accepit? Petrus accepit, & Joannes & Jacobus non accepit, & cæteri Apoſtoli? Aut non ſunt iſtæ in Eccleſia claves, ubi peccata quotidie dimittuntur*? Ita S. Auguſtinus Serm. 26. de Diverſis.

Verum eſt, quod ſcripſit item S. Pater Tract. 124. in Johan. & quod poſt eum docent omnes Galli: *Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatûs ſui* PRIMATUM, *Eccleſiæ gerebat figuratâ quâdam generalitate perſonam.* Sed non ideo minus verum eſt, quod ſcribit Natalis Alexander Hiſt. Eccleſ. Tom. VIII. Diſſert. VIII. in Sæcul. XIV. n. 53. *Claves immediatiùs Eccleſiæ traditæ ſunt, quàm S. Petro, illique commiſſæ ſunt, ùt Eccleſiæ perſonam gerenti.* Hæc non impediunt, quo minus agnoſcamus aliquid in hac Petri figurata Eccleſiæ repræſentatione (id lubens profiteor, & pro bonitate unionis lætanter pronuntio) quod in hac Clavium acceptione Petrum à cæteris Apoſtolis diſtinguat. Id meliùs, quàm quidquid in hanc rem Jeſuita profert, enuntiat Boſſuetus in *Defenſ. Declar. Cler. Gall. Lib. III.*

Cap. 13. „ Neque propterea dixeris, nihil præ cæteris ac-„ cepiſſe Petrum, qui tantùm cæteros figuraret; meminiſſe „ enim oportet, quid Auguſtinus in Pſalm. 108. dixerit, *Pe-„ trum Eccleſiæ geſſiſſe perſonam*, PROPTER PRIMATUM, „ *quem in Diſcipulis habuit.* Et de Verbo Dei Serm. XIII. „ Cap. 2. *Petrus Eccleſiæ figuram portans*, *Apoſtolatûs Prin-„ cipatum tenens*: quod aſſiduè inculcat, & cæteri Patres uno „ ore prædicant. Hoc enim habuit præ cæteris, ut, cùm eſ-„ ſet omnium Princeps, illud poteſtatis à Chriſto proximè & im-„ mediatè manantis depoſitum, principali jure & ipſe acciperet, „ & ad ſucceſſores transmitteret; ut cæteros Epiſcopos meminiſ-„ ſe oporteat, ſe primùm in Petro, ùt unitatis Capite, deſignatos, „ formatos, conſtitutos, in Petri ſucceſſore colendo & obſer-„ vando unitatem & pacem ſervare debere. „

Itaque, ſi aliqui ex Gallis dixerunt, Claves Petro *imme-diatè* datas eſſe, rectiùs alii cum Natali Alexandro dixerunt, eas *immediatiùs* Eccleſiæ traditas fuiſſe. Quare? Quia cùm Petrus eas reciperet, Eccleſiæ gerebat perſonam, cujus ipſe ſolùm erat membrum, licèt principalius; unde & in hac traditione ſuam, quà Caput, portionem obtinebat. Hac explicatione tantùm egent, ut ſtricturæ ex adverſo tentatæ elidantur.

X. Amplior ac manifeſtior adverſarii dolus eſt in prætenſo altero diſſidio inter doctrinam *Febronii* & *Gallorum.* Si, ait, ex illo quæras, quid *demum* ex ejus ſententia ſit Primatus Petri, quem in acceptione Clavium huic Apoſtolo præ reliquis ſalvum voluit? Reſpondet Tom. I. Cap. 2. §. 4. *Qualis in Senatu eſt Præſes*, *talis* PROPEMODUM *in Collegio Apoſtolorum eſt Petrus.* Anne hoc eſt illud *demum*, ſeu finale, in quo Febronius Primatum defigit? Perge itaque, Jeſuita, cum rubore legere, quæ eodem, quod citas, Capite, eodémque §. ſequuntur: „ Verùm inter hos *nudi directorii* fi-„ nes *jura Primatûs non ſubſiſtunt*; exigit amplius aliquid con-„ ſervatio unitatis in Eccleſiâ, non ſemper in Conciliis con-„ gregatâ, quam pro fundamento & principio Primatûs ponimus.

Digitized by Google

„ nimus. Qui ad genuinum ſenſum S. Scripturæ, Traditio-
„ nis ac Diſciplinæ primorum ſæculorum ſapiunt, illi - - - - -
„ nôrunt, quòd, cùm Rom. Pontifex inter hos (Epiſcopos)
„ ſit *primus*, ſupremo ejus muneri annexa eſſe debeat ſollici-
„ tudo, ut per univerſum orbem obſerventur Canones; ut
„ fides illibata cuſtodiatur, ut iidem ritus ſubſtantiales in mini-
„ ſtrandis Sacramentis adhibeantur; ut denique unam omnes, eám-
„ que ſanam doctrinam moralem profiteantur. Cùm verò, qui id
„ procurare tenetur, neceſſariâ auctoritate inſtructus eſſe debeat,
„ refragantes ad id compellendi mediis ſyſtemati convenien-
„ tibus, & per Canones eum in finem ſtatutis, hinc minimè
„ dubitandum, quin talis auctoritas Romano Pontifici, quà
„ Primati univerſali, competat. „ Poſt hæc proſequitur noſter Auctor ex particularibus juribus Primatûs, fines *nudi directorii* tranſcendentibus, plura enarrare, quorum numerus per totum Opus nova identidem incrementa capit. Vis interim nôſſe, Jeſuita, quando officium Primatis non *propemodum* modò, ſed *abſolutè* etiam, ad terminos nudi directorii reſtringatur? Id obtinet, cùm Petrus Collegio Apoſtolorum, cùm Papa Collegio Epiſcoporum in generali Concilio præſidet, aut alio modo de re Eccleſiæ communi inter ſummum Pontificem & Epiſcopos, etiam diſperſos, agitur.

Porro ſi Natalis Alexander, ſi alii ex Gallis ſcripſerunt, *cæteris Apoſtolis datas eſſe Claves cum dependentia à Petro, & cum ſubordinatione ad ipſum;* ſalvum haud dubiè per hoc voluere, quod & Febronius voluit, Petri & ſucceſſorum ejus Primatum: at Primatum conformiter ad Declarationem anni 1682., non ad ſenſum Romanæ Curiæ explicatum.

XI. Progrediamur ad tertium, ſi Diis placet, diſcrimen. *Galli*, inquit ille, *Petrum* ùt *Principem* & *Monarcham* Eccleſiæ illam in receptione Clavium repræſentâſſe aſſerunt; *Febronius* interrogatus, in qua qualitate eâ occaſione Petrus Eccleſiam repræſentaverit, dicit *Reſpondeo*, & nihil reſpondet. Quid? Nihílne eſt reſpondere, quod *Tom. II. Febr. pag.* 186. legitur: Si ultrà urgeat Jeſuita, & omnino poſtulet, ut *qua-*

Digitized by Google

litatem repræſentantis Petri explicem, ſine ullâ hæſitatione cum S. Auguſtino, ubi ſuprà, &, ſi vis, cum Gallis, dico, *Petrum propter Apoſtolatûs ſui* PRIMATUM, *figuratâ quadam qualitate, Eccleſiæ geſſiſſe perſonam*. Itaque Petrus propter locum, quem tanquam dignior & *primus* inter Apoſtolos ſuſtinuit, claves è manu Domini accepit, non ſuo privativo nomine, ſed nomine omnium Apoſtolorum, nomine *Eccleſiæ*, quam *figuratâ qualitate* repræſentabat. Explicent hunc ab Auguſtino rectè vocatum *Apoſtolatûs Primatum* (in qua qualitate Petrus meruit figuram Eccleſiæ portare) ſub nomine ac titulo *Principis*, *Monarchæ* &c. (quibus verbis nonnulli, etiam Gallorum, ſubinde uſi ſunt) nihil per hoc adverſarius lucrabitur; uti *Tom. II. Febr. pag.* 531. *ſeqq.* ſatis demonſtratum eſt; multò minùs (quod prætendit) aliquid ex eo diſcriminis inter *Gallorum* & *Febronii* ſententiam extrudet. Sed hæc jam ſuprà *num.* 5. abundè elucidata ſunt.

XII. Quod reliquum eſt ex ſuprà relatis Zaccarianis objectionibus, breviùs expediam, quia revera totum quantum eſt, non meretur, ut repetitionibus eorum, quæ ſatis & ſæpius explicata ſunt, Lectores fatigentur.

Quod de *laicis*, imò & *mulieribus*, quæ ſic ex acatholicorum & aliorum damnatorum Scriptorum ſententiâ partem clavium tenerent, ille cavillat, ei præſentis Capitis *num.* 4. & 5. abundè ſatisfactum eſt. Quòd perpetua ſucceſſio poteſtatis & hierarchiæ in Eccleſia eſſe debeat, veriſſimum eſt; ſed hoc non exhaurit totam vim Traditionis circa materiam Clavium *Eccleſiæ* à Chriſto conceſſarum, à SS. Patribus ad nos transmiſſæ. Vid. ſuprà *num.* 2. nec non *Tom.* I. *Febr. Cap.* 1. §. 6. *n.* 4. Quòd denique vera jurisdictio Eccleſiaſtica ſit in ea tantùm Eccleſia, quæ, præter alias inſignes dotes, etiam hanc habet, ut in ea ſit atque permaneat unitas inter Caput & membra, inter peripheriam & Centrum, peræque certum eſt: verùm hoc nihil concludit ad quæſtionem, *Quodnam ſit ſubjectum immediatum Eccleſiaſticæ poteſtatis*?

Poſt

Digitized by Google

Poſt hæc P. Zaccaria usque ad paginam 338. multùm occupatur textibus Sacræ Scripturæ, & horum interpretatione, præſertim *Matth. XVI.* & *Joannis XXI.* Cùm idem ille jam egiſſet in ſuo italico Antifebronió, remiſit eum Juſt. Febronius *Tom. II. pag.* 345. ad Boſſuetum, Natalem Alexandrum, Colletum, & alios primæ notæ Theologos Gallos, ut adverſùm hos, quantùm velit, dimicet; eâ plenus fiduciâ, futurum, ut quacunque demum ratione hæc pugna terminetur, parum aut nihil ille favore immodicarum prætenſionum Romanarum evincat. Ad hæc noſter Jeſuita ſui Antifebronii Vindicati *Tomo I. pag.* 305. *quàm facile*, ait, *eſt Febronio adverſarios ſuos refutare*! Sed neque modo aliud à me reſponſum exſpectet. Utar hac in parte privilegio, quod ipſe ſibi ſcripſit *Tomo II. pag.* 337. ubi occaſione quæſtionis de Rom. Sedis infallibilitate ſic inquit: „ Quod in *Antiſebronio* profeſſus ſum, „ heic rurſus edico, non ita me in hancce quæſtionem ingredi, „ ut eam pro dignitate tractare velim. Immenſi id operis eſ- „ ſet, *atque etiam inutilis* poſt tot doctiſſimorum virorum „ hac ſuper re Commentaria.

XIII. Ut aliis Adverſariorum cavillationibus occurram, illud hic addam, quòd ab hac de Clavibus quæſtione tantùm non omnes, quæ inter nos ſunt, dependeant, aut eis ſaltem ingens præjudicium generetur. Hoc obſervavit Cardinalis Orſius in Præfatione ſui Operis *de Irreformabili Rom. Pontificis in definiendis fidei controverſiis judicio* circa finem, ubi: „ Si Romani Pontificis Sedisque Apoſtolicæ judicium Eccle- „ ſiæ univerſæ judicio ſubjectum eſt, ejúsque retractandi ac „ reformandi Eccleſia univerſa jus habet; planè inde conſe- „ quens eſt, majorem eſſe Oecumenicæ Synodi, univerſam „ Eccleſiam repræſentantis, quàm Romani Pontificis uniúsque „ Sedis Apoſtolicæ auctoritatem: (quæ altera Cleri Gallicani „ propoſitio eſt) adeoque & Apoſtolicæ Poteſtatis uſum mo- „ derandum per Canones Spiritu Dei conditos & totius mun- „ di reverentiâ conſecratos; uti tertiâ Gallicanæ Declarationis „ propoſitione ſancitur. At contrà, ſi Romanus Pontifex ad

Digitized by Google

„ ſanciendas fidei morúmque controverſias ſummam ex ſe & „ indeclinabilem, nulliúsque obnoxiam judicio, ipſius Chriſti „ inſtitutione divinóque jure, obtinet auctoritatem; profectò „ Oecumenicæ Synodi non eſt, ejus, præſertim de fide, judi- „ cia retractare; aut leges illi ac terminos conſtituere, quos „ tranſilire non liceat, & quibus conceſſæ illi divinitùs pote- „ ſtatis amplitudo coërceatur.

CAPUT III.

An doctrina de Clavibus toti Corpori Eccleſiæ datis, & de ſuperioritate Concilii Generalis, natales ſuos debeat Avenionenſi ſchiſmati?

I.

Sic non verentur aſſerere Doctor Kauffmans, Petrus Ballerinius, Ennodius Faventinus, Viator à Cocaleo, Antifebroniani denique omnes, præcipuè P. Zaccaria Antifebronii Vindicati *Tomo II. pag.* 93. Hujus aſſerti falſitas *Tomo II. Febroniano pag.* 617. partim demonſtrata fuit, partim ſequentibus confirmabitur. Notum eſt illud Gregorii Magni in Joannem Conſtantinopolitanum Lib. V. Epiſt. 18. edit. Bened. *Ego itaque per Reſponſales meos ſemel & bis verbis humilibus hoc, quod in tota Eccleſia peccatur, corripere ſtudui: nunc per me ipſum ſcribo. Quidquid facere debui, non omiſi.* SED SI IN MEA CORREPTIONE DESPICOR, RESTAT UT ECCLESIAM DEBEAM ADHIBERE. De hoc S. Gregorii loco pluribus agemus infrà *Diſſert. IV. Cap.* 3. Nec minùs eruditis notum eſt, quod Nicolaus I. ad Regem Lotharium ſcripſit apud Harduinum Collect. Concil. Tom. V. pag. 277. *Cæterùm præcave, nequando nobis, ſecundùm Domini præceptum, duos*

duos aut tres teſtes adhibeamus : imò NE HOC ECCLESIÆ SANCTÆ DICAMUS, *&, quod non optamus, fias cunctis ſicut ethnicus & publicanus.* Non poſſent tres gradus Evangelicæ correctionis diſtinctiùs exprimi. Illud porro notiſſimum eſt, quod Epiſtola 162. ad Glorium & Eccleſium ſcripſit Auguſtinus: *Ecce putemus, illos Epiſcopos, qui Romæ* (præſidente Papa Melchiade) *judicârunt, non bonos judices fuiſſe ;* RESTABAT ADHUC PLENARIUM ECCLESIÆ UNIVERSÆ CONCILIUM, *ut, ſi malè judicâſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur.* In quem locum ita Card. Cuſanus Concord. Cathol. Lib. II. Cap. 17. „Ecce ſententiam Auguſtini, „ ſcilicet poſt judicium etiam Papæ Romani, Univerſale „ Concilium totius orbis ſupereminere, approbatorium vel „ abſolutorium, etiam in ipſos judices. Quam ſententiam „ multis in locis ipſe Auguſtinus dicit. *Nec habet hoc dubium,* „ cùm Chriſtus dicat Petro: Si Eccleſiam non audierit, ſit „ tibi ſicut ethnicus. „ Quis denique neſcit illud ejuſdem Auguſtini Lib. II. de Bapt. pro Cypriano: *Defenſiones non tales afferebant, quibus illa talis anima moveretur.* NONDUM PLENARIUM CONCILIUM FACTUM FUERAT. *Nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere,* QUALE STEPHANUS JUSSIT, *niſi Univerſæ Eccleſiæ concordiſſimâ auctoritate firmati ; cui & ipſe Cyprianus ſine dubio cederet, ſi jam veritas eliquata & declarata* PER PLENARIUM CONCILIUM *ſolidaretur.*

II. Vir eruditus, qui ad Boſſueti Lucanenſem editionem ſcholia adjecit, Libro V. Cap. 2. pag. 314. „ Illud, ait, „ mirum imprimis, à viro docto (*de Aguirrio loquitur*) hoc „ aſſeri potuiſſe: ante Gerſonem in Gallia neminem extitiſſe, „ qui Papæ infallibilitati adverſaretur. Quaſi tempore Bonifaciani diſſidii non fuiſſet omnium Galliæ Ordinum adverſùs Pontificiam infallibilitatem unanimis ſententia. Quaſi, „ ut etiam vetuſtiora commemoremus, ambigua eſſet Ivonis „ Carnotenſis, Hincmari Remenſis, & aliorum Gallorum ea „ de re doctrina &c. „ Quæ de infallibilitate hic ſcripſit eruditus

eruditus Notator, ea nemo non videt propter connexionem ad ſuperioritatem quoque potuiſſe non incongruè referri. Tempore Concilii generalis Viennenſis, conſequenter ante Avenionenſe ſchisma, Durandus Mimatenſis Antiſtes Papam univerſali Synodo ejúsque definitionibus ſubditum, diminutionem verò ſeu coarctationem Epiſcopalium jurium, tanquam à Deo immediatè emanantium, in illius poteſtate non eſſe, ipſimet Papæ Clementi V. ejus ſententiam roganti in ſcriptis declaravit apud Febronium *Tom. II. pag.* 303. De ſententia Gloſſatoris, qui ſcripſit ſæculo XIII. vid. Febr. *eod. Tom. II. p.* 617. Taceo, quòd etiam appellationes à Papa ad Concilium generale annis centum & quinquaginta ante Avenionenſe ſchiſma in Eccleſia frequentatas, pluribus exemplis oſtenderit Febronius *Cap. IV.* §. 10. Taceo, quòd jam ſæculo decimo exeunte Gerbertus, poſtea Silveſter II. Papa ad Seguinum Archiep. Senonenſem ſcripſerit apud Bouchellum Lib. II. Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ pag. 319. *Conſtanter dico, quod ſi ipſe Romanus Pontifex in fratrem peccaverit, ſæpiúsque admonitus Eccleſiam non audierit, hic, inquam, Romanus Pontifex præcepto Dei eſt habendus ſicut ethnicus & publicanus.*

III. Gerſon Libro de Poteſtate Eccleſiaſtica Conſiderat. XII. Opp. Tom. II. p. 247. *Fallor*, inquit, *ſi non ante celebrationem ſacroſanctæ hujus Conſtantienſis Synodi ſic occupaverat mentes plurimorum iſta traditio, ut oppoſitorum dogmatizator fuiſſet de hæretica pravitate vel notatus vel damnatus. Cujus rei ſignum accipe, quia poſt declarationem, & quod urgentius eſt, poſt determinationem ejuſdem Sanctæ Synodi inveniuntur, qui talia paſſim aſſerere non paveant.* Ex hoc Petrus Ballerinius de Poteſtate Eccleſiaſtica ſummorum Pontificum contra Opus Juſt. Febronii Cap. VIII. *pag.* 113. nec non Ennodius Faventinus *pag.* 6. colligunt, nuperos natales eſſe doctrinæ Pariſienſis de ſuperioritate Concilii. Verùm huic argumento (quod etiam Lud. Thomaſſinus, Romanis auribus palpaturus, propoſuit) rectè opponit Antonius Pererius in Defenſione

ne Tentaminis Theologici *pag.* 181. Lutheranos pari jure reponere poſſe, nuperos eſſe natales ejus dogmatis, quo Catholici credimus, Libros Deutero-Canonicos eſſe divinos; quia ante definitionem Tridentinæ Synodi divinos eſſe Libros illos, multi cum Cajetano & S. Thoma vel negârunt vel dubitârunt. Aliud eſt, quæſtionem de Superioritate Univerſalis Concilii tempore Synodorum Piſanæ & Conſtantienſis propter partium ſtudia ad magnum motum veniſſe: aliud, eandem Superioritatem antè fuiſſe ignoratam. Sanè poſt Conſtantienſe Concilium non durâſſe in Gallia probabilitatem ſententiæ oppoſitæ, luculentus teſtis eſt Joannes Major Pariſienſis Theologus, Gerſoni & Almaino coævus, qui in Tractatu de Auctoritate Concilii ſupra Papam *Tom. II. Gerſon. pag.* 355. in reſponſione ad octavum argumentum Cajetani: *noſtra*, inquit, *facultas à diebus Concilii Conſtantienſis (in qua plures exercitatos habebis Theologos, quàm in duobus vel tribus regnis) ſic hanc partem fovet, quòd nulli hoc licuit aſſerere oppoſitum probabile.*

Varias periodos & fata doctrinæ de Superioritate Conciliorum vix alibi inveniemus curatiùs expreſſa, quàm à Card. Cuſano, tempore ſynodi Baſileenſis ſcribente. Is ita in Præfatione ad Libros de Catholica Concordantia: *Quis, rogo, ante hos pauculos annos ea dixiſſe abſque nota potuiſſet, quæ nunc fieri conſpeximus, ad manifeſtandam univerſalium Conciliorum eminentiſſimam poteſtatem, quæ* DUDUM *non ſine maximo publicæ utilitatis ac fidei orthodoxæ diſpendio* DORMITAVIT! *Videmus autem, per cuncta ingenia etiam ſtudioſiſſimorum hominum* VETERA *repeti, eáque avidiſſimè, acſi totius revolutionis circulus proximè compleri ſperaretur, reſumimus.* Adde eundem *Lib. II. Cap.* 33.

IV. Petrus, inquiunt, de Marca in Opere de Concordia *Libr. III. Cap.* 7. *n.* 1. negat Gallicanas Libertates ſuperioritati Concilii Generalis inniti. Ita P. Zaccaria in ſuo Antifebronio italico *Tom. I. pag.* 142. Fateor: ſed diſſimulant, quid de hoc Marcæ dicto ſcripſerit Boſſuetus *Lib. XI. Cap.* 15. En ejus verba: „Haud me fugit, illuſtriſſimum atque doctiſ-

Digitized by Google

„ doctiſſimum Petrum de Marca, dum Romanis auribus par-
„ cit, aliam ac novam de Libertatibus Gallicanis protuliſſe
„ ſententiam. Is enim profitetur confutari à ſe communem
„ opinionem, quæ docet, præcipuam Libertatum regulam
„ hanc eſſe, ut Concilium Oecumenicum ſuperius Romano
„ Pontifice dicatur. Quamvis tamen hæc ſit Scholæ Gallica-
„ næ ſententia; non eſſe unam ex Libertatibus Gallicanis &c.
„ Hæc docet vir ſummâ doctrinâ, ſummóque ingenio, at,
„ quod nemo negat, verſatili & in utramque partem æque
„ compoſito. Profectò ut verum ſit id quod exponit, nihil
„ tamen vetabat Libertatem Gallicanam duplici fundamento
„ niti: nec à Gallo Juriſconſulto ac Præſule circa Libertatem
„ antiqua & vulgata rejici oportebat, dum ei muniendæ no-
„ va fulcimenta quærit &c. „ Cæterùm noſtra nihil intereſt, ſententiam de auctoritate Concilii ſupra Papam fundamentum haberi Libertatum Gallicanarum; ſufficit, Scholæ Gallicanæ ſententiam eam eſſe, quod Marca non negat, ſed planè fatetur & probat.

CAPUT IV.

Conſtans Eccleſiæ Gallicanæ & Academiæ Pariſienſis doctrina de Concilii Generalis ſupra Papalem auctoritate.

I.

Quæ ſuperiore Capite ex Joanne Majore, ex Petro de Marca, & ex Scholiaſte Boſſuetano retulimus, ea jamtum innuunt, quæ ſit, quæque conſtanter fuerit de eâ, quam proponimus, Theſi ſententia Studii Generalis Pariſienſis; illius inquam Univerſitatis, quæ ex elogio Urbani PP. VI. *inter, imò ſupra cæteras Studentium Univerſitates, in quibus ſcientiarum gemma refulget, velut quoddam ſydus irradiat, & pulſis procul igno-*

ran-

rantiæ & errorum tenebris, doctrinâ ſuâ ceu lumine circumlucet: ex qua tanquam ex puriſſimo fonte ſemper ſani verique dogmatis rivuli profluxerunt. Inſignis hæc Univerſitas Concilii generalis ſuperioritatem præ Papa tanquam præcipuum Eccleſiaſticæ Diſciplinæ caput ſpectavit, illúdque identidem ſuis Declarationibus & Cenſuris firmavit.

Philippo Pulchro regnante ſacra Facultas Pariſienſis die Veneris ante Feſtum S. Joan. Bapt. an. 1303. ita ſtatuit apud Bulæum in Hiſt. Univerſit. Pariſien Tom. IV. pag. 46. *Nos convocationem & congregationem dicti Concilii, præmiſſis & aliis cauſis utilem & omnino neceſſariam reputantes, ut ipſius D. Bonifacii innocentia clareat, ſicut teſte innocentiâ exoptamus, aut de impoſitis ſibi per Concilium diſcutiatur, ſtatuatur, & fiat, quod decernunt Canonicæ ſanctiones &c.*

Anno 1429. eadem Univerſitas apud Bulæum Tom. V. pag. 387. hanc Joannis Sarraceni Ordinis Prædicatorum in Theologia Licentiati propoſitionem configit: *Quandocunque in aliquo Concilio aliqua inſtituuntur, tota authoritas dans vigorem ſtatutis in ſummo ſolo reſidet Pontificio*; & ex contrario Saracenum ità profiteri jubet: *Quandocunque in aliquo Concilio aliqua inſtituuntur, tota authoritas dans vigorem ſtatutis reſidet non in ſolo ſummo Pontifice, ſed principaliter in Spiritu ſancto & Eccleſia Catholica.*

Anno 1482. ſacra Facultas Pariſienſis hanc Joannis Angeli ex Ordine Fratrum Minorum propoſitionem damnavit tanquam falſam, ſcandaloſam & ſapientem hæreſim manifeſtam: *Quicunque contradicit voluntati Papæ, paganizat, & ſententiam excommunicationis incurrit ipſo facto; & à nullo Papa reprehendi poteſt, niſi in materia hæreſis.* Bulæus cit. Tom. V. p. 754.

II. Tota Univerſitas anno 1491. edidit appellationis actum, exſtantem *ibid. pag.* 795. ad univerſalis Concilii judicium, ut Eccleſiaſticas immunitates ſervaret à denariorum exactione, quam Innocentius VIII. mandaverat. Forma appellationis hæc eſt pag. 803. *A ſanctiſſimo Domino noſtro Papa Innocentio VIII.*

minùs debitè conſulto ad ſe ipſum meliùs conſulendum, & ad ſanctam Sedem Apoſtolicam etiam meliùs conſulendam, nec non ad Sacroſanctam Synodum univerſalem celebrandam, illúmque vel illos, ad quem ſeu ad quos de jure provocare & appellare nobis licet, provocamus & appellamus - - - - - ſubmittentes tamen omnia judicio Univerſalis Eccleſiæ.

Anno 1497. die 11. menſis Januarii Theologica Facultas almæ matris Univerſitatis Pariſienſis congregata apud S. Mathurinum pro terminandis quibusdam Quæſtionibus à Dom. Rege ad ſe transmiſſis, reſpondit ad primam: *Quòd ſummus Pontifex & Pater ſanctiſſimus tenetur de decennio in decennium congregare Generale Concilium univerſalem Eccleſiam repræſentans; & maximè nunc, cum tanta ſit deordinatio in Eccleſia, tam in Capitibus quàm in membris, quæ cunctis notoria eſt.* Ad ſecundam: *Dictum eſt determinativè, quòd ſi tempore urgentis neceſſitatis, ſicut nunc, vel poſt decem annos ab ultimo celebrato Concilio, dictus ſummus Pontifex rogatus fuerit, requiſitus, ſummatus & monitus de ſic congregando dictum Concilium, ut ſuprà, & facere recuſaverit & neglexerit, vel diſtulerit, tunc Principes tam Eccleſiaſtici quàm ſæculares, & Patres Eccleſiæ notabiles poſſunt ſe congregare, ſine hoc quòd per ſummum Pontificem congregetur dictum Concilium Eccleſiam univerſalem repræſentans.* Apud Bulæum *eod. Tom. V. pag.* 821.

III. Cavillentur quantum velint Jeſuitæ, pro contemptibili ſuâ arte, ſuper ſingulis his Pariſienſis Scholæ decretis; nunquam efficient, quin verum ſit, quod è Tridentina Synodo Cardinalis Lotharingus anno 1553. XIX. Calend. Febr. ad ſuum tum Romæ agentem Secretarium *Britonem* ſcripſit: *Se Gallum, & in Academia Pariſienſi inſtitutum profiteri, in qua auctoritas Concilii ſupra Romanum Pontificem propugnatur. Gallos potiùs mortem oppetituros, quàm in contrariam opinionem abeant.* Item: *Ego plus exiſtimo reipſa prodeſſe Sedi Apoſtolicæ, ſi in fide & obedientia regnum Galliæ perſeveret, quàm ſi duo verba* (circa auctoritatem Rom. Pontificis *univerſalem Eccleſiam* gubernandi) *meo ſenſu attulerim, & eas diſputationes excitaverim,*

verim, quæ ad ſubverſionem tantummodo nunc proſunt Vid. Natal. Alexander Hiſt. Eccleſ. Tom. VIII. Diſſert. XII. Art. 13. p. 655. Adde Pallavicinum Hiſt. Concil. Trid. Lib. XIX. Cap. 14. n. 4. Confer etiam infrà Diſſert. IV. Cap. 3. n. 9.

In Cenſura Propoſitionum, quæ ex P. Ludovici Celotii S. J. Libro de Hierarchia ductæ ſunt, eæ inter alias proſcriptæ fuerunt, in quibus Auctor de Conciliorum authoritate minùs rectè locutus erat; eáſque ipſe revocare juſſus eſt, & profiteri, Generalium Conciliorum convocationem nonnunquam neceſſariam eſſe. Quid in Pariſienſi Facultate occaſione libri Jacobi Vernantii anno 1664. actum ſit, dicemus *Diſſert. III. Cap. V. n. 6.* Paulò antè eadem Sacra Facultas ſuam veterem de potiore Concilii authoritate doctrinam legitimè in articulis renovaverat, quos an. 1663. Regi & Senatui exhibuit, quorum Quintus ejusmodi eſt: *Doctrinam Facultatis non eſſe, quòd ſummus Pontifex ſit ſupra Concilium Oecumenicum.* Ex his prono alveo fluxit Declaratio Cleri Gallicani an. 1682. Regis authoritate vallata. Quibus omnibus nequidquam officiunt, quæ in cauſa Richerii an. 1612. Pariſiis acta ſunt. Vid. *Diſſert. I. Cap. 3. n. 5. & 6.*

CAPUT V.

Hiſpanorum ſententiæ de Generalium Conciliorum auctoritate Papalem tranſcendente.

I.

Doctrinam de Superioritate Concilii Generalis uſque ad tempora Concilii Tridentini Hiſpanis communem ac familiarem fuiſſe, planè oſtendunt celebriorum ex ea gente Theologorum & Canoniſtarum ſcripta. Inter hos primo loco commemorare liceat ANDREAM ESCOBAR in Tractatu *de Guberna-*

tione Conciliorum, quem durante Baſileenſi Synodo compoſuit, & ejusdem Synodi Præſidi Juliano de Cæſarinis inſcripſit. Ejus verba hic non repetimus, quia Tomo II. Froniano *pag.* 181. 184. & 200. jam deſcripta ſunt. Eſcobario jungimus JOANNEM DE SEGOVIA S. Theologiæ in Salmanticenſi Profeſſorem, qui hujus Academiæ ſimul & Caſtiliæ Regis nomine fuit in Baſileenſi Synodo. Is in Tractatu *de Eccleſiaſtica Poteſtate*, apud Febronium *cit. Tom. II. pag.* 202. tam ait eſſe certum, quòd Papæ poteſtas ſit informabilis & dirigibilis per regulas Eccleſiæ, ut poſt declarationem Conſtantienſis Concilii nemini de eo dubitare permiſſum ſit. ALPHONSI TOSTATI Abulenſis Epiſcopi hac de re doctrinam omnibus notam pluribus conſignavit Febronius *Tomo I. pag.* 32. *ſeqq.* & *Tomo II. pag.* 184.

DOMINICUS SOTUS in IV. Sentent. Diſt. XX. Cap. 1. art. 4. poſtquam quæſiſſet, Utrùm poteſtas jurisdictionis in utroque foro fuerit collata Eccleſiæ, ita ut in uno corpore immediatè reſideat, an verò in Prælatis ejus? ſic poſt multa alia ſcribit *pag.* 551. „ Nihil hic dicere molimur de illa mo„ leſta lite, utrùm Concilium ſit ſupra Papam, quæ cauſa eſt, „ ut nunquam Concilia eo candore feliciter celebrentur, quo „ antiquitùs; ſed quia rerum conſequentia hoc expoſcit, ne „ Clavium Tractatus mutilus maneat, quidquid ſit de illa „ quæſtione, pro noſtra tenuitate *ſubjectum proximum Eccleſia„ ſticæ poteſtatis & jurisdictionis* explorare debemus. Enimverò „ Gerſon, quem imitatur Almain, atque alii fautores „ illius opinionis, quòd Concilium eſt ſupra Papam: *arbi„ trati ſuam opinionem ex hoc fundamento pendere*, ajunt, po„ teſtatem Eccleſiaſticam jurisdictionis in utroque foro *reſide„ re in tota univerſalitate Eccleſiæ*, hoc eſt, in toto Corpore „ quod ajunt categorematicè, inſtar Reipublicæ civilis. „

Majori adhuc diligentia id ipſum diſcuſſerat MARTINUS NAVARRUS, dum in Commentariis ad Cap. *Novit.* de Judiciis anno 1548. Conimbricæ dictatis, Notabili 3. num. 84. hæc ſcribit: „ Decimo nono infertur, cautè poſitum

„ tum in definitione poteſtatis Eccleſiaſticæ verbum *inſtituta*, „ loco verborum *collata Apoſtolis &c.* poſitorum per Joan. „ Gerſon ubi ſuprà: tum quia longè aliud eſt inſtituere ali- „ quam poteſtatem, aliud illam conferre & tradere alicui---- „ tum ne oporteret definire, *cui principaliùs illa fuerit à* „ *Chriſto collata*, *an Eccleſiæ toti*, *an vero ipſi Petro*? Quod „ non eſt conſilium facere in præſentia, *propter maximam* „ *diſcordiam Romanorum & Pariſienſium.* Illi tenent, Petro „ & ſucceſſoribus datam eſſe hanc poteſtatem, atque ideo „ Papam Concilio eſſe ſuperiorem: ii verò, quibus adhæret „ Gerſon, *totam datam eſſe toti Eccleſiæ*, licèt exercendam „ per unum; *atque adeo ſaltem in aliquot caſibus Concilium* „ *eſſe ſupra Papam.* Quarum illa, ſcilicet Romanorum, vi- „ detur placuiſſe S. Thomæ 2. 2. q. 11. art. 2. & 3. & „ Thomæ à Vio in eisdem articulis, & in Apologia 2. p. „ Cap. 1. ubi altiùs & profundiùs hoc demonſtrare conatur. „ Altera verò placuit Panormitano, qui pro Pariſienſibus eſt, „ in Cap. *Significaſti* de Elect. & in Tractatu ſuper Conci- „ lio Baſileenſi, QUEM FREQUENTIUS NOSTRI SE- „ QUUNTUR, ùt tradit Decius Conſil. XV. quam mordi- „ cùs tuetur Jacobus Almain è Sorbona Doctor, & Joannes „ Major, ajens, Romæ nemini permitti tenere Pariſienſium & „ Panormitani ſententiam: nec rurſus Academiam illam Pari- „ ſienſem pati, ut contraria teneatur in ea.

DIDACI PAYVA Luſitani, & PETRI GUERRERII Hiſpani (qui ambo interfuere Tridentino) in idem argumentum ſententias produxit Febronius: illius quidem *Tomo II. pag.* 203. & 222. hujus verò *Tomo III. pag.* 21. Alia his conformia Hiſpanorum judicia in Tridentina Synodo ampliùs explicata refert Pallavicinus *Lib. XVIII. Cap.* 14. *& alibi.*

CAROLUS V. Imperator & Hiſpaniarum Monarcha in Epiſtola, quam Granatæ die 17. Septembris an. 1526. dedit ad Clementem Papam VII. poſt plura adversùs hunc deducta gravamina ſic concludit: „ Supplicantes propterea Veſtræ „ Sanctitati, illámque in Domino hortantes, quatenus pro ſuo

Digitized by Google

„ ſuo Paſtorali officio, próque cura & ſollicitudine gregis „ ſibi commiſſi, dignetur ipſum Sacrum Generale Concilium „ indicere, & convocare in loco tuto & congruo, cum de- „ bita termini præfixione. Nos enim cùm ex his & aliis ſa- „ tis notoriis cauſis turbari videremus univerſum Eccleſiæ & „ Chriſtianæ religionis Statum: ut nobis, ac ipſius Reipubli- „ cæ ſaluti conſulatur, pro his omnibus ad ipſum ſacrum „ univerſale Concilium per præſentes recurrimus, ac à futu- „ ris quibuscunque gravaminibus, eorúmve comminationibus „ provocamus, appellamus, & ſupplicamus à Veſtra Sanctita- „ te ad dictum ſacrum Concilium, cujus etiam officium, per „ viam querelæ, his de cauſis implorandum cenſemus: pe- „ tentes cum ea qua decet inſtantia, Apoſtolos & litteras di- „ miſſorias, ſemel, bis, ter, & plures nobis concedi &c. „ Qui à Papa ad Concilium Generale provocat, ſuum de hu- jus ſuperioritate judicium abundè teſtatur. Hanc Caroli Epi- ſtolam debemus nuperrimo Auctori Operis Hiſpanici, cui ti- tulus eſt: *Judicium à partibus liberum de Romano Monitorio adversùs Parmæ Ducem*, Madriti annis 1768. & 1769. im- preſſi, dein anno 1770. etiam gallicè editi ſub rubrica: *Jugement impartial ſur les Lettres de la Cour de Rome en forme de Bref, tendantes à deroger à certains Edits du Sérenſſime Infant Duc de Parme &c.* Ab eodem Auctore duorum alio- rum in idem argumentum eandémque ſententiam graviſſimo- rum ſcriptorum Sæculi XVI. notitiam accipimus, nempe AL- PHONSI GUERRERII in Tractatu Hiſpanicè ſcripto *de mo- do & forma celebrandi Concilii Generalis* ad Regem Carolum I. Januæ impreſſo anno 1537. & DIDACI DE ALAVA Eſqui- belii, Epiſcopi primùm Aſturicenſis, dein Epiſcopi Grana- tenſis, in Tractatu latino *de Concilio Univerſali* ad Philip- pum II. Granatæ anno 1552.

II. Hactenus firma ſtetit pro Clavibus Corpori Eccleſiæ immediatè datis, atque ejus ſuperioritate præ Romano Ponti- fice Hiſpanorum ſententia. „ Verùm interruptam in Hiſpa- nis

„ nis Jeſuitarum operâ antiquam doctrinam facilè credat,
„ quisquis *Lainii*, *Salmeronis*, *Suarezii*, *Valentiæ*, *Toleti* &
„ aliorum conatus pro tuenda Papali Monarchia conſiderarit.
„ Licèt enim alii etiam extiterint intra illa tempora ex Domi-
„ nicanis, Franciſcanis, cæterisque Religioſis familiis, qui Ul-
„ tramontanis quoque placitis adhæſerint, nulli tamen arctiùs
„ adhæſere, nulli adhærendum ab aliis terribiliùs curavere,
„ quàm Jeſuitæ, quorum apud Hiſpanos maximè formidan-
„ dum ſemper extitit Magiſterium. „ Ita Antonius Periera Regiæ Curiæ cenſoriæ Decemvir ordinarius Regisque Fideliſſimi ab Epiſtolis latinis in *Defenſione Tentaminis Theologici de Auctoritate Epiſcoporum tempore ſciſſuræ, Oliſipone anno* 1770. *editâ. pag.* 182.

Quæ autem nunc Hiſpanicæ nationis ſententia ſit, luculenter demonſtrat docta lucubratio paulò antè memorata ſub titulo: *Judicium à partibus liberum.* Hæc tametſi privati Scriptoris opus ſit; quia tamen Catholici Regis juſſu à duobus Archiepiſcopis, tribúsque Epiſcopis quàm diligentiſſimè diſcuſſa atque examinata eſt, & adſidente etiam Regio Procuratore JOSEPHO MONNINIO comprobata, publicum & authenticum inſtrumentum quoddam haberi debet, unde certò colligere poſſumus & judicare, quæ doctrina his temporibus vigeat in illo regno. Porro *Sectione I. numero* 42. *pag.* 23. in Hiſpanico autographo legimus, quæ latinè reddita ita ſonant:
„ Ex priori noſtro Concilio Toletano, quarto ſæculo exeun-
„ te celebrato, planè agnoſcitur, quàm ab antiquo in Eccleſia
„ Hiſpanica viguerit illa ſententia, quæ docet, omnibus Epi-
„ copis datam eſſe poteſtatem Clavium. *Vobis datæ ſunt cla-*
„ *ves regni cælorum*, ajebat ſanctus Epiſcopus Dictinius ad
„ Collegas ſuos, ubi de ſe reconciliando, ac de damnanda
„ Priſcilliani hæreſi agebatur. Si in Evangelio uni data dici-
„ tur poteſtas Clavium, id ex ſententia priorum Patrum eò
„ ſpectavit, ut demonſtrarentur Claves unitati datæ, non verò

„ uni ſoli datæ. Non uni, ſed unitati. D. Auguſt. *ſerm.* „ 108. *de Diverſis Cap.* 2.

Rurſus *Numero* 135. *pag.* 68. „ Doctis Scriptis magni „ *Gerſonis*, *Abbatis Panormitani*, & *Speculatoris*, ſic in Gal- „ lia præverſa ſunt conſilia Romanorum, ut contraria doctri- „ na præfocata mox in ipſis cunis viſa fuerit. Pari trium- „ pho in Hiſpania inclaruere Lucubrationes magni Megaren- „ ſis (*Andreæ Scobarii*) & doctiſſimi *Alphonſi Toſtati*. Potéſt- „ que optimis argumentis confici, ſuperioritatem Conciliorum „ Generalium, ſaltem in certis caſibus, ad faſtigium rei evi- „ dentis perveniſſe apud antiquos Canoniſtas noſtros; opinio- „ némque eam fuiſſe communiter receptam, antequam inun- „ datione factioſorum Scriptorum effectum eſt, ut illorum „ Lucubrationum penè obliteraretur memoria. „

CAPUT VI.

Germanorum ſententiæ de Concilii Generalis potiore auctoritate.

I.

A Gallorum & Hiſpanorum ſententia non recedit Germania. BARTHOLOMÆUS BRIXIENSIS in variis Gloſſis ad Decretum Gratiani, quas deſcripſit Febronius *Tom. II. pag.* 617. *ſæculo XIII. docuit*, quod Papa peccans poſſit denuntiari Eccleſiæ, & ob notorium crimen apud eam accuſari; quòd Eccleſia univerſalis, non autem ſolus Papa, infallibilitate gaudeat; quòd denique ſtatuta Generalis Concilii prævaleant ſtatuto Papæ. ANTONIUS DE ROSELLIS, Conſiliarius Sigismundi

Digitized by Google

mundi Imperatoris, apud Goldaſtum *de Monarch. Tom. I. Part. 3. C. 26. pag.* 432. ita ſcripſit: „ Chriſtus Eccleſiam „ videtur conſtituiſſe non in ſolo Petro, ſed in omnibus Apo- „ ſtolis, juxta verba Pſalmiſtæ: *Fundamenta ejus in montibus* „ *ſanctis.* Si igitur Eccleſia fuit conſtituta non in ſolo Petro, „ potiùs ipſam in omnibus Apoſtolis conſtituit, licèt in Pe- „ tro ùt in uno ſignificativè & figurativè, quæ tamen erat „ in omnibus Apoſtolis ſubſtantialiter & effectivè, juxta il- „ lud Auguſtini ſuper Joannem, *Petrus quando claves accepit,* „ *Eccleſiam Sanctam ſignificavit.* Ex quo ſequitur, quòd ſub- „ ſtantialiter & effectivè poteſtas clavium eſt in Eccleſia, in „ Petro ſignificativè, & ſubſtantialiter unà cùm aliis. „

Cardinalis NICOLAI CUSANI, qui circa annum 1450. floruit, repetitas de hoc argumento ſententias recenſuit Febronius *Tom. II. pag.* 182. 184. & 201. DIONYSII CARTHUSIANI, ejusdem ſæculi XV. Scriptoris, enuntiata proſtant *eod. Tom. II. pag.* 185. JACOBI DE PARADISO Erfordienſis, qui anno 1457. claruit, verba ex Tractatu de Septem Statibus Eccleſiæ dedit Febronius *Tom. II. pag.* 201. & *Tom. III. pag.* 354. JOANNIS ECKII, qui tempore Lutheri vixit, & adversùs eum ſcripſit, ſentimenta legi poſſunt *Tomo II. Febr. pag.* 220. Judicia UNIVERSITATUM COLONIENSIS, ERFORDIENSIS, & VIENNENSIS de anno 1440. circa ſuperioritatem & poteſtatem, quam Eccleſia & eam repræſentans Univerſale Concilium immediatè à Deo obtinuit in & ſupra Romanum Pontificem, exhibentur Tomo V. Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis *à pag.* 460. *ad pag.* 517. Nonnulla huc pertinentia ex eis decerpſit Febronius *Tom. II. pag.* 192. 204. 205. 618. Quid, quòd tota Natio in Concordatis Principum (quæ ſunt pragmatica perpetuò valitura Imperii Germanici Sanctio) Oecumenicorum Conciliorum præ Papa ſuperioritatem, non ipſa ſolùm aſſeruerit, ſed & ejusdem agnitionem à ſummis Pontificibus Eugenio IV. & Nico-

Digitized by Google

lao V. prævià matura deliberatione, per publicam & ſolemnem conventionem ſtipulata ſit; quod Febronius pluribus in locis demonſtravit, ſignanter *Tom. I. Cap. VI.* §. *16. n. 9. eod. Tom. I. Appendice I. Num. XIV. pag. 795. Tom. II. in Præfat. Not. 7. Tom. III. pag. 136. & ſeqq.* & *pag. 275.* Quæ non niſi fide peſſimà & aperto animo publicas conventiones eludendi negari, aut ſcholaſticis cavillationibus à Romanis & eorum clientibus involvi valent. De talium cavillationum numero & ſpecie ſunt, quæ hìc ingerit Zaccaria Antifebronii vindicati *Tomo II. pag. 280. ſeqq.* nec non Ennodius Faventinus *pag. 187.* Sed his jam obviam itum *Tom. I. cit. Cap. VI.* §. *16. n. 9.* & Tom. III. p. 136.

II. Quod adversùm Reſponſa ſeu Judicia memoratarum Germaniæ Univerſitatum injicit Zaccaria *cit. Tom. II. pag. 32.* & iterum *pag. 227* nimirum illas, cùm anno 1440. ſua Reſponſa darent, fuiſſe *Schismaticas*, manifeſtæ ineptiæ & levitatis eſt. Etenim quod ſpeciatim Colonienſem attinet, ea ſuo Reſponſo hanc præfixit Rubricam: *Univerſitas Colonienſis ad requeſtam Reverendi DD. Theodorici Archiepiſcopi Colonienſis, Dominis Univerſitatis Colonienſis, ſicut primâ facie potuerunt*, NON AUDITIS PARTICULARIBUS MOTIVIS PARTIUM SCHISMA PRÆSENS INDUENTIUM *viſum eſt conveniendum in tribus propoſitionibus, quibus ſuper hac requiſitione reſpondendum eſt.* Unde ſatis intelligitur, Colonienſes Academicos nihil minùs quàm ſchismati implicatos fuiſſe, cùm nudè de jure, non de facto reſponderent. Sed neque Pontifices Eugenius IV. & Nicolaus V. Principes Germaniæ (de quorum Neutralitate inter Baſileenſem Synodum & Eugenium Papam in omnibus illis Univerſitatum Reſponſis agebatur) pro Schismaticis habuerunt, quando cum eis, ſuperioritatem generalium Conciliorum defendentibus, tractarent, nedum cùm illam ipſi in Concordato agnoſcerent.

III.

III. In horum ſequelam Auguſtiſſima Imperatrix Maria Thereſia Regina Apoſtolica anno 1769. in omnibus Academiis Auſtriacæ ditionis propugnari juſſit infallibilitatem in definiendis dogmatibus *ſoli* Catholicæ Eccleſiæ competentem, nec non ſuperioritatem Generalium conciliorum etiam reſpectu Papæ Theſes, quæ Candidatis ad ſupremam in Theologia lauream in dictis Academiis aſpirantibus propugnandæ præſcribuntur, ſunt ſequentes: 28.) *In Fidei quæſtionibus præcipuæ Summi Pontificis ſunt partes; ejúsque Decreta ad omnes & ſingulas Eccleſias pertinent.* 29.) *Nec tamen irreformabile eſt ejus judicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.* 30.) *Unde etiam ſententiam, quam Univerſitas noſtra Vindobonenſis NB. in Reſponſoria ad Conſultationem Electorum Imperii an.* 1440. *dedit, tuendam ſuſcipimus: nempe Concilium generale ſupremam habere, etiam ſupra Romanum Pontificem, poteſtatem.* Illa, de qua hìc mentio fit, Univerſitatis Vindobonenſis Reſponſoria, eſt eadem, cujus nos paulò antè meminimus, proſtans in Cæſaris Egaſſi Bulæi *Hiſt. Univerſit. Pariſien. Tom. V. pag.* 471. *ſeqq.* Simile huic Reſponſum Univerſitatis Colonienſis ejusdem anni 1440. videre eſt *Tomo II. Febron. pag.* 79.

IV. Si poſt tantorum virorum & celeberrimarum Academiarum doctiſſimas lucubrationes, ad reprimenda petulantia ingenia, edicto Regis Galliæ omnes tenentur ſuperioritatem Eccleſiæ & Conciliorum Generalium reſpectu Papæ in rebus tam Fidei, quam Diſciplinæ, agnoſcere & profiteri; ſi in Germania idem publicis ac pragmaticis Sanctionibus ſtabilitur, atque has ſententias in omnibus Academiis Auſtriacæ ditionis tueri præceptum eſt; ſi denique eædem doctrinæ in regnis Hiſpaniarum publicâ auctoritate ſuſtinentur & vigent: quod judicium feremus de bono noſtro Colonienſi Doctore Kauffmans, digno utique tantæ Scholæ Decano, qui, ut non teneretur fateri, his adverſam ſua mſuorúmque doctrinam non poſſe practicam habere utilitatem, *Diſſert. I.* §. 10. *n.* 47. publi-

cis ſententiis dictarum Nationum (quæ maximam partem Catholicæ Eccleſiæ complectuntur) ne *probabilitatem* quidem vult agnoſcere, compaſſione dignior quàm indignatione. Vide Febronium *Tom. II. pag.* 177.

V. Hunc ſuperat, non docilitate, ſed aſtutiâ & fallendi arte atque ſtudio P. Zaccaria, quando non auſus noſtræ ſententiæ *probabilitatem* apertè negare (pudet me hac denominatione uti, quando agitur de doctrinâ tot Catholicis Nationibus communi, à ſæculis defensâ, & publicâ auctoritate tandem firmatâ, contra quam Roma ne hiscere quidem audet) Febronio cum Eximio Colleto aſſerenti; adverſariorum ſententiam in tantâ (ut minimum dicam) Doctorum diſcrepantiâ, nullam in Eccleſia habere practicam utilitatem, ſequentia *Tom. II. pag.* 413. objicit, aut veriùs declamat: „ Illud verò quod ſæ„ pe Febronius inculcat, noſtram ſententiam, ut quæ non „ niſi ad *opiniones ſcholæ* pertineat, *nullam habere in Eccleſia* „ *practicam utilitatem*, perridiculum eſt. *Opinio ſcholæ* eſt; „ nempe ùt fidei dogma credenda Fidelibus omnibus non„ dum propoſita fuit; verùm opinio eſt ex fine ac ratione „ Primatûs *invictâ* argumentandi ratione collecta; opinio eſt „ *certâ Chriſti pollicitatione* firmata; opinio eſt, quæ cum in„ dubitata & ab ipſis adverſariorum primoribus magnificen„ tiſſimè prædicata Romanæ ſedis ασφαλεια *neceſſariò* con„ jungitur; opinio eſt, quam *Patrum traditio confirmat*, op„ poſitæ ſententiæ *novitas extollit*, dogmatum, quæ adverſa„ rii tradunt *conflictus commendat*; opinio eſt, quam ſapien„ tiores ex *Gallicana Eccleſia* Præſules ita venerantur, ut ad „ eam, quoad interpretando efficere poſſunt, *coactam illam* „ *extortámque Cleri Gallicani Declarationem* admovere conen„ tur; quam vel ipſi Gallicani Epiſcopi ab exteris gentibus „ propè *ùt revelatam veritatem* agnoſci fatentur; quam deni„ que credendis Fidei decretis adcenſeri *prudens* quædam Ro„ manæ Sedis *vetat œconomia.* Hanc enimverò quid *opinio-nem*

„ *nem* appello? Febronius hoc ſi lubet nomine utatur; mihi „ profectò non licet; ſententia eſt quàm *certiſſima*, nec ullis „ *Febronianorum* argutiis ac fraudibus de ſua umquam digni-„ tate dejicienda. „

Itáne 1.) adeo *invicta* eſt pro Romana ſententia argumentandi ratio, tam illa *certâ Chriſti pollicitatione* firmata; quam innumeri Catholici Doctores, & primi quidem ſubſellii, plures Academiæ, integræ Nationes minùs firmam, cum Chriſti verbo pugnantem judicant? 2.) tam illa *certò*, tam *neceſſariò* cum Pontificis Primatu conjuncta? quando hujus natura ſecundum ſcripturam & Traditionem conſiderata ei potiùs contradicit: 3.) adeo *antiqua?* ut non adverſa magis ex generalium Conciliorum Oeconomia & perpetuo Eccleſiæ uſu firmetur; quæ in eo ſibi etiam apud omnes ſuos ſectatores conſtat, quod in *ſola univerſali Eccleſia* inveniatur & perſtet infallibilitas: 4.) adeo in ipſa etiam Gallia pro verâ habita, ut contrariam illi Declarationem Ludovicus XIV. à Clero regni extorquere debuerit, & Ludovicus XV. in hunc usque diem illam Epiſcopis, Doctoribus & Graduatis, imò omnibus Theologiæ & Juris Canonici Candidatis vel invitis obtrudat, atque inſuper ſacrilego juramento firmari faciat: 5.) ſententia denique, quam profectò prudentiſſima Romanorum œconomia in terminis ſcholaſticæ probabilitatis & diſputationis relinquit; quia nunquam ſuæ veræ auctoritati graviorem notam, gravius vulnus, inferre poſſent, quàm ſi hanc ſuam opinionem inter articulos Fidei per ſummam imprudentiam referre tentarent.

Has antitheſes latiùs extendere, & earum ſoliditatem pluribus demonſtrare, non eſt hujus loci aut temporis. Earundem *externam* auctoritatem firmant probationes & teſtimonia per ſingula Capita præſentis Diſſertationis relata. Pro noſcenda *intrinſeca* earum ſoliditate remittimus Lectorem ad Boſſuetos, Zallweinios & alios viros Magnos.

Quid?

Digitized by Google

Quid? nullámne utilitatem practicam habet noſtra ſententia? Sic ſtatim poſt præmiſſa quærit Zaccaria *pag.* 414. Sed mox ſubdolè confundit vim & auctoritatem Pontificiarum Definitionum in materiis Fidei (quæ certè magna eſt, & ab omnibus pro tali habetur, licèt illæ *per ſe* ultimatæ non ſint, ſed pro complemento infallibilitatis acceſſum Corporis Epiſcoporum, ſive expreſſum, ſive tacitum deſiderent) cum diſputabili in utramque partem doctrinâ de infallibilitate *ſolius* definientis Romani Pontificis, cujus definitio vel ideo articulum Fidei conſtituere non poteſt, quia, ùt rectè Card. Orſius, non *probabiliter*, ſed *certò* conſtare debet, eſſe Petri ſucceſſores ad fidei controverſias dirimendas divina & infallibili præditos auctoritate, ad hoc ut eorum decreta veluti certas & irretractabiles fidei Catholicæ regulas excipiamus. Vid. *Tom. I. Febr. Cap.* 1. §. 10.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO III.
DE EPISCOPATU.

CAPUT I.

Epiſcoporum poteſtas, tam Jurisdictionis, quàm Ordinis, non à Papa, tanquam cauſâ proximâ, ſed immediatè à Deo eſt. Miræ P. Zaccariæ oſcitationes.

I.

Theſis de immediata tranſmiſſione poteſtatis Epiſcopalis, ſine tranſitu per organum ſeu officium Primatis Eccleſiæ, tot & tam validis argumentis ſtabilita eſt à Febronio *Tom. I. Cap. VII.* §. 1. 2. 3. *Tom. II. pag.* 240. *ſeqq. pag.* 480. *ſeqq. Tom. III. pag.* 150. *ſeqq.* ut opus non foret jam dictis hîc addere quidquam, niſi adverſariis, maximè Patri Zaccaria, viſum fuiſſet aquæ limpidæ affundere turbidam, eo potiſſimùm fine, ut Lectores à vero ſenſu & ſtatu quæſtionis abducantur. Igitur in idem redeundum eſt; ſed paucis. Hoc agentes adversùs eum in ſuo Antifebronio Vindicato Tom. I. Diſſert. III. Cap. II. præſertim *pag.* 419. affirmamus, *non à Papa, tanquam cauſâ proximâ, ſed immediatè à Deo eſſe illam poteſtatem, tum Ordinis, tum Jurisdictionis, ipſum hoc donum, ipſam hujus doni diffuſionem ac communicationem, quæ tum in conſecratione, tum in diœce-*

ſeos aſſignatione, cuivis Epiſcopo attribuitur per eum vel eos, quorum miniſterio hunc in finem Eccleſia clavium depoſitaria utitur. Non eodem jure cum adverſario *pag.* 426. dicemus, à Deo immediatè ſuam accipere jurisdictionem Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Archidiaconos, Decanos rurales; quippe quorum munus humani inſtituti eſt, non habens poteſtatem jure divino annexam.

II. Quæſtio, de qua agimus, in Synodo Tridentina ſic fuit propoſita: *An Epiſcopi Jure Divino in Eccleſia ſint inſtituti?* Vid. Febron. *cit. Cap. VII. §.* 2. *p.* 542. Non fuiſſe eam de ſolo nomine quæſtionem, Adverſarius non poterit diffiteri, quandoquidem *l. cit. pag.* 416. ipſemet aſſerat: *Aſſentior quidem, Epiſcopos Romano Pontifici magis obnoxios fore, ſi ab illo jurisdictionem agnoſcant.* Sed hoc nunquam agnoſcere voluerunt Hiſpani & Galli. Solida eorum in contrarium argumenta vid. *cit.* §. 2. Cauſam, ob quam Itali in illorum ſententiam ire detrectaverint, memorat clar. Gibert Corp. Juris Canon. Tom. I. Part. I. Tit. 20. Sect. 6. pag. 172. cujus verba deſcripſit Febronius *Tom. I. Cap. VII.* §. 3. *n.* 3. Pergit l. cit. P. Zaccaria: „ Ut tamen ei (Rom. Pontifici) „ ſubſint veluti *Eccleſiæ Monarchæ*, qualem ipſum ſtatuimus „ (*in quo Pontificiæ dignitatis vis* OMNIS *ſita demum eſt, ac* „ *divina poteſtas*) neceſſe non eſt à Pontifice eorum jurisdi„ ctionem promanare. „ Verùm hanc prætenſam *Monarchiam*, in qua *omnis* divina poteſtas ſita ſit, jam ſuprà depulimus *Diſſert. II. Cap.* 1. *ſeqq.* Hic ſufficit, Galliæ & Hiſpaniæ Epiſcopos in Tridentino ſuam à Romano Pontifice jurisdictionem haud agnoviſſe. Id quod illius Primatui in nullo præjudicat.

III. Tridentina Synodus Seſſ. XXIII. de Ordine Cap. 4. aſſerit, *Epiſcopos in locum Apoſtolorum ſucceſſiſſe.* Ajunt adverſarii, hoc ibidem *enuntiari* ſolùm, non *definiri.* Ut quid ergo tantùm vociferantur, quando nos tantundem dicimus de loco Tridentini Seſſ. XIV. Cap. 7. ubi traditur, *Pontifices maximos pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſa traditâ, cau-*

ſas aliquas criminum graviores ſuo potuiſſe peculiari judicio reſervare.

Repugnat Tridentino Zaccaria *pag.* 436. ſcribens: „Epiſcopi dicuntur quidem Apoſtolorum ſucceſſores, ſed *non verè ac propriè*; ſed cùm *Epiſcopalis ordinis*, quem cum illis communem habent, *ratione*; tum etiam *juriſdictionis poteſtate*, quam *ſimilitudine quadam* ac proportione cum univerſali Apoſtolorum facultate obtinent. Dein *pag.* 438. Juxta Cyprianum & Firmilianum Epiſcopi Apoſtolis *Vicariâ Ordinatione* ſuccedunt. Succeſſores ergo ſunt, ſed ita, ut potiùs *Vicarii* dicendi ſint Apoſtolorum, quàm *ſucceſſores*; contrà Romanus Pontifex, quia *verus Petri ſucceſſor* eſt, non niſi per quendam abuſum ejus Vicarius diceretur. Demum *pag.* 440. Ego verò iterum dico, ne Apoſtolis quidem *ùt Epiſcopis verè ac propriè ſucceſſiſſe.* Epiſcopos, niſi paucillimos illos, qui in particulari alicujus Apoſtoli cathedra ſederunt. Cæteri enim non tam illorum ſucceſſores ſunt, quàm illorum vice in Epiſcopali dignitate ex Chriſti ordinatione & præcepto conſtituti.„

Quàm hæc ſunt erudita! Epiſcopi non ſunt *ſucceſſores* Apoſtolorum, ſed eorum *Vicarii*; eis non ſuccedunt, ne *ùt Epiſcopis* quidem, ſed habent cum eis communem poteſtatem *ordinis* Epiſcopalis, exercent ſimilem cum illis poteſtatem *juriſdictionis*; finaliter illorum vice in Epiſcopali dignitate ex Chriſti ordinatione & præcepto conſtituti ſunt. Quid ſi tibi magno numero exhibeam Romanos Pontifices, qui ſe *Vicarios S. Petri* nuncupant? Ecce illos: S. Leo M. Felix III. Gelaſius I. Symmachus, Vigilius, Gregorius M. Hadrianus I. Nicolaus I. Hadrianus II. Joannes VIII. Leo IX. Nicolaus II. Paſchalis II. Hos indicavit Franciſcus Hallier *de Sacris Electionibus & Ordinationibus Part. II. Sect. IV. Cap.* 1. §. 4. *pag.* 493. *edit. Pariſ. an.* 1636. *Illorum* verba edidit Launoius *Lib. II. Epiſt.* 2. additis pluribus eisdem ſimilibus Conciliorum, Patrum & Scriptorum Eccleſiaſticorum. His junge Sacramentum à Bonifacio Archiep. Gregorio II. præſtitum, infrà *num.* 7.

Digitized by Google

Quinimo Hincmarus Remenſis Archiep. inter Capitula Archidiaconis data in Præfatione, *Epiſcopos vice beati Petri* in Eccleſia fungi ſcribit *Opp. Tom. I. pag.* 738.

IV. Juriſdictionem cujusque Epiſcopalis Sedis vel perſonæ à Romano Pontifice tanquam à proxima cauſa repetendam prætendit Zaccaria *pag.* 419. Quare? quia Optatus Lib. VII. contra Parmen. de *Petro* ſcripſit: *Præferri omnibus Apoſtolis meruit, & claves regni cælorum communicandas cæteris ſolus accepit.* Quibus paria leguntur apud Gregorium Nyſſenum, Stephanum Lariſſæum, ac tandem S. Leonem M.

Verùm illud *Petrum claves cæteris communicandas accepiſſe*, quid eſt aliud, quàm quod vidimus ſuprà Differt. II. Cap. 2. n. 2. dicentem Auguſtinum: Petrum non pro ſe ſolo, ſed nomine ac loco omnium Apoſtolorum, imò & Epiſcoporum, claves accepiſſe. Alii hi ſunt modi eloquendi, eadem locutionis ſubſtantia. Etenim à nobis eodem Cap. 2. & ſeqq. abundè probatum eſſe arbitramur, Apoſtolis *omnibus* claves à Chriſto *immediatè* datas eſſe, nequidquam obſtante illa Optati & aliorum Patrum expreſſione, *Cæteris communicandas*; quæ proinde etiam reſpectu Epiſcoporum, qui Apoſtolis ſuccedunt, diverſum non operabitur effectum. His adde *Tom. III. Febr. pag.* 152. *ſeqq.*

V. Sed eamus in rem propiùs. Quærit Zaccaria *pag.* 425. quandonam Epiſcopi à Chriſto juriſdictionis poteſtate donentur, an in electione, an in confirmatione, an in conſecratione? Aperuit eâ de re mentem ſuam Auctor noſter *Tom. II. Febr. pag.* 245. & 253. Cui addatur Van Eſpen *J. E. U. Part. I. Tit.* 14. *Cap.* 5. *n.* 1. Hic tantùm dico, Papam *quà talem* ex genuino & originario jure neque Epiſcopos eligere, neque confirmare, neque conſecrare, neque alio modo ad eorum *conſtitutionem* concurrere, ſed hoc totum, poſtquam à Clero & Populo electi ſunt, eſſe negotium Epiſcoporum Provincialium. Verum eſt, quòd inde à primis Eccleſiæ temporibus Epiſcopi utprimùm ordinati eſſent, de ſua ordinatione ad ſummum Pontificem referre debuerunt, ut *per Apoſtolicæ*

ſtolicæ Sedis communicationem Catholicæ Eccleſiæ unitatem pariter & caritatem (uti S. Cyprianus Epiſt. 45. ad Cornel. loquitur) habere, ſeu in Eccleſiæ Catholicæ unitate eſſe, & Epiſcopatûs tenere unitatem probarentur; ſed hæc nihil faciunt ad *conſtituendum* Epiſcopum, qui jam ante has litteras communicatorias omni poteſtate Epiſcopali pollebat.

Electionis, quæ multis ſæculis, præſertim in Eccleſia Latina, ſuffragio Cleri ac Populi fiebat, non erat ea vis ſive authoritas, ut neceſſariò is eſſet ordinandus, quem populus ordinandum expetiiſſet; ſed penes Metropolitanum cum Epiſcopis Suffraganeis jus fuit electionem electámque perſonam examinandi, utrùm nimirum & illa Canonica eſſet, & hæc ad Eccleſiam regendam & onus Epiſcopale ſuſtinendum ſufficiens. Fuit inſuper in Metropolitani & Comprovincialium Epiſcoporum poteſtate electionem probare vel improbare, prout eam vel Canonicam vel minùs Canonicam judicarent. In quo hoc inſuper notandum, quòd nec per ejusmodi electionem, uti hodie, jus aliquod *ad rem* ipſi electo acquireretur, antequam per Metropolitanum & Suffraganeos electio ſeu nominatio populi eſſet probata & admiſſa; ipséque electus Ordinatus & in Cathedra collocatus. Hæc omnia fundantur in Canone IV. Nicæno, quo ſic decernitur: „Epiſcopum oportet maximè quidem *ab omnibus*, qui ſunt in Provincia, *conſtitui*; ſi autem ſit hoc difficile, vel propter urgentem neceſſitatem, vel viæ longitudinem, tres omnino eundem in locum congregatos, abſentibus quoque ſuffragium ferentibus, ſcriptíſque aſſiſtentibus, tunc electionem fieri, eorum autem, quæ fiunt, Confirmationem in unaquaque Provincia *à Metropolitano* fieri.„ Hoc Canone non de ſola ordinatione ſive conſecratione agi, ſat innuit conſenſus ille abſentium *in ſcriptis* requiſitus, qui ad Confirmationem electionis, nequaquam ad ipſam formalem Ordinationem aliquid conferre poteſt. Unde Canone XII. Synodi Laodicenæ edicitur, ut „Epiſcopi judicio Metropolitanorum & eorum „ qui circumcirca ſunt Epiſcoporum provehantur ad Eccleſia-

„ ſticam dignitatem; ii videlicet, qui plurimo tempore proban-
„ tur tam verbo fidei, quàm rectæ converſationis exemplo.„

Metropolitano igitur cum vicinis, id eſt, Comprovincialibus Epiſcopis defert hæc Synodus, eodem quo Nicæna celebrata ſæculo, *conſtitutionem* ſive *provectionem* Epiſcoporum. Nihil ſive in his ſive in aliis ejus ævi Canonibus de Romano Pontifice aut ejus *ad conſtituendos Epiſcopos* concurſu. Eadem diſciplina multis ſæculis perſtitit, maximè in Germania & Gallia. Hoc (ut alia ſileam) ex Canonibus Synodorum Arelatenſis II. Arvernæ, Aurelianenſis IV. & Pariſienſis V. probat Thomaſſinus *de Vetere & nova Eccleſiæ Diſciplina Part. II. Lib. II. Cap.* 18. *n.* 1.

Noſcimus itaque ex his Canonibus ſpiritu Dei conditis canalem, per quem divinæ inſtitutionis poteſtas, cujus depoſitum *Eccleſiæ* creditum eſt, *hæc* ſingulis Epiſcopis communicat, absque quòd ea per medium Romanæ Sedis quoquo modo transeat.

VI. Quæ hactenus dicta ſunt, *ad Regulam* pertinent, & univerſalem ac primitivam Eccleſiæ conſtitutionem. Inventæ quidem & deinceps introductæ ſunt *declinationes ab hac Regula*, tum in gratiam & obſequium Romanæ Eccleſiæ, tum favore aliarum majorum Sedium; verùm hæ neque illam neque has cauſam immediatam authoritatis Epiſcopalis conſtituunt.

Concilium Toletanum XII. an. 681. omne jus confirmandi Epiſcopos Hiſpaniarum in Epiſcopum Toletanum transtulit. Verba ejuſdem Concilii Can. 6. apud Harduinum Tom. III. col. 1722. hæc ſunt: *Licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quoſcunque poteſtas Regalis elegerit, & jam dicti Toletani Epiſcopi judicium dignos eſſe probaverit, in quibuslibet Provinciis eligere, Epiſcopis decedentibus, ſucceſſores. Ita tamen, ut quiſquis fuerit ille ordinatus, poſt ordinationis ſuæ tempus, infra trium menſium ſpatium, proprii Metropolitani præſentiam viſurus accedat, qualiter ejus authoritate vel diſciplinâ inſtructus, condignè ſuſceptæ Sedis gubernacula teneat.*

„Qui

„ Qui Primati vel Exarcho parebant cuicunque Metro-
„ politani, dignitatis ſuæ confirmationem ab eo flagitabant - -
„ - - - ſi quibus verò Metropolitanis nullus Primas, nullus
„ emineret Exarchus, ii à ſummo Pontifice confirmandi erant,
„ ùt cui immediatè ſubeſſent - - - - - Illis ipſis honoris inſigni-
„ bus confirmatus eſt ab eo Joannes Archiepiſcopus, ſeu Pri-
„ mas & Exarchus Juſtinianæ Primæ electus - - - - - Si tam lon-
„ ginquas in regiones ſummoti Metropolitani & Archiepiſcopi,
„ imperióque ſubjecti Orientali, confirmandi tamen erant à Pa-
„ pa, quid de Italis augurandum? - - - - - Cùm propior eſſet Raven-
„ na Civitas, electus ibi Metropolitanus Romam ordinandus ex
„ lege & more properare cogebatur. Excuſſerunt hoc aliquando
„ tandem jugum Ravennates Epiſcopi: at priſtina ſua jura reſcri-
„ ptoImperatorio recuperavit Leo II. - - - - - Decreto ſuo illigavit
„ Gratianus 24. q. 1. C. *Pudenda* Epiſtolam Pelagii I. qua
„ ſignificat, ex ingenti locorum diſtantia factum eſſe, ut Me-
„ diolani & Aquilejæ Metropolitanis ea facultas annueretur,
„ ſibi ut mutuò conſecrationis munus impertirent, à Papa
„ prius confirmati; ita ut neuter ſubeſſet alteri, & conſecratio
„ in ipſa conſecrandi Eccleſia celebraretur, quo faciliùs digno-
„ ſcere & ſcrutari poſſet Ordinator, numqua labes, Canonicis
„ regulis inimica, vel electionem perturparet vel electum. „
Ita Thomaſſinus *cit. Lib. II. Cap.* 19. *n.* 3. 4. 5. 6. 7. 8.
ubi & ſingulas has aſſertiones documentis firmat.

VII. Has & ſimiles prærogativas Apoſtolicæ Sedis, quan-
tùm valuit, extendit P. Zaccaria in Antifebronio italico *Part.
II. Lib. I. Cap.* 4. Neque tamen auſus eſt ſuſtinere, Roma-
num Pontificem ad omnes Epiſcoporum ordinationes concur-
rere; coactus *ibid. num* 1. aſſerere, Papam ad cujusvis Epiſcopi
ordinationem, ſi non *antè* conſentiendo, ſaltem *pòſt* accedere
approbando: „ In più maniere, inquit, ſi può intendere che
„ queſta conferma ſi faceſſe da' Romani Pontefici, cioè o per
„ via di conſecrazione ordinando i Veſcovi eletti, e coſì con-
„ fermavanſi i Veſcovi, che il Papa alla ſua ordinazione eraſi
„ riſervati, o per via di conſentimento alla fatta elezione, e
queſto

„ queſto ora davaſi prima della conſecrazione, e coſi ne' Patri-
„ arcati erano; dal Patriarca confermati i Veſcovi, che appar-
„ tevano per l'ordinazione a' Metropolitani; ora anche da-
„ vaſi dopo la ſeguita ordinatione, di modo che ſe queſta
„ non foſſe dal Papa approvata, neppur per canonica ſi avea
„ la precedente elezione. - - - - - E il vero checcheſſia ſe le let-
„ tere, che i Patriarchi d'Oriente ſcrivevano all' Apoſto-
„ lica Sede toſto che al Patriarcato erano aſſunti, foſſero un
„ indizio della conferma, che demandavano, oppure, come
„ pretende il *Tomaſini*, una ſemplice notizia, e ſegno di tene-
„ re la lor comunione; certa coſa è, che quando i Romani
„ Pontefici riſpondendo loro gli ammettevano alla lor comu-
„ nione, s'entendevano confermati, e per l'oppoſito, ſe riget-
„ taſſero la lor comunione, pur riprovata s'intendeva la loro
„ elezione; che però era per que' Patriarchi una coſa ſteſſa
„ ricevere la comunione de' Papi, e l'eſſere nella fatta ele-
„ zione confermati.

Breviùs meliúsque hæc explicat Hallier *Part. II. Sect. V. Cap.* 4. *art.* 3. *n.* 9. quem Zaccaria l. cit. in ſuum adjutorium advocat, nempe: *Primis etiam Eccleſiæ temporibus, utprimùm Epiſcopi ordinati eſſent, de ſua ordinatione ad ſummum Pontificem referre debebant, iique legitimi cenſebantur, quibus Romanus Epiſcopus communicaret: econtra ſpurii & adulterini Paſtores, quos ille reſpueret.* Craſſè erraret, qui hanc de cujuſque Epiſcopi promotione factam ad ſummum Pontificem relationem, hujúsque ad illum reſponſionem pro Pontificia confirmatione haberet; ipſe etiam Rom. Pontifex, uti eod. loco obſervat Hallier, recens ordinatus, ſimiles ad Epiſcopos litteras communicatorias dabat, quibus Eccleſiæ Catholicæ unitatem pariter & caritatem ſe cum iis habere teſtaretur. Nemo hac de re curatiùs ſcripſit Thomaſſino *cit. Cap. XIX. num.* 1. ubi: *Datis ad Romanum Pontificem Epiſtolis omnes Patriarchæ primitias ordinationis ſuæ dedicabant* - - - - NIHIL HOC ATTINEBAT AD ELECTIONIS VEL ORDINATIONIS CONFIRMATIONEM. *Officioſa ea erat omnino humanitas, & religioſæ*

gioſæ venerationis teſtificatio, vel mutuò ſibi inter Collegas, vel mutuò reverentiùs exhibita Vertici ſacro hujus Collegii, atque profeſſio fidiſſimæ & conſtantiſſimæ perſeverantiæ ſuæ in unione & communione primæ Sedis, atque in Decretorum Sedis Apoſtolicæ, Canonúmque obſervatione. Dein num. 2. *Ingenuè tamen fateri cogimur, geminæ hujus profeſſionis exordia non ante Hormisdæ Pontificatum cœpiſſe, cui non alia viſa ſunt opportuniora adhiberi poſſe medicamenta Acaciani furoris ſchismati. Antea enim initio Pontificatûs ſui Romanus Pontifex cæteríque Patriarchæ ultrò citròque Epiſtolas miſſitabant cum Catholicæ fidei & charitatis mutuæ ſignificatione: quod vix aut nec vix fieri poterat, quin aliqua exprimerentur Primatûs Petri ſupra alios vertices omnes eminentiſſimi documenta.*

Quod dixit Hallerius, eos Epiſcopos legitimos habitos fuiſſe, quibus Romanus communicabat, ſpurios econtra, quibus ille non communicabat, nihil facit ad rem præſentem; ſed ſolùm denotat obligationem omnium Epiſcoporum ſtandi in communione & unione cum Centro univerſalis Eccleſiæ, quod eſt ſucceſſor Petri, ſummus Pontifex.

VIII. Confirmationi ſubnectuntur ſacramenta, juramenta & promiſſiones, ſeu fidei ſeu obedientiæ, quibus Clerici Epiſcopis, Epiſcopi Metropolitanis, Primatibus, Papæ obligati fuere. Primus omnium, inquit Thomaſſinus *Part. II. Lib. II. Cap.* 44. *n.* 1. videtur hæc expreſſiſſe ſacramenta Anaſtaſius Theſſalonicenſis Archiepiſcopus & Apoſtolicæ Sedis Vicarius in Illyrico Orientali circa annum Chriſti 450. Non eſt dubium, quin hæc ſacramenta Epiſcopos magis magìsque adſtrinxerint Apoſtolicæ Sedi, præſertim ad obſervantiam Pontificiorum Decretorum. Aſt ſeriùs adſtrictior hic nexus in Germaniam & Galliam introductus eſt. Teſtatur hoc Thomaſſinus *L. cit. n.* 9. ſequentibus: „ Bonâ fide fatendum eſt, extra Hiſpaniam ſacramenta ea, quæ vel Epiſcopi Metropolitano, vel Metropolitani Papæ præſtant, non antè uſurpata, quàm Bonifacius Germaniæ Apoſtolus ſolemne juramentum Gregorio II. præſtitit Papæ tempore ordinationis ſuæ. Ejus

Digitized by Google

„ hæc præcipua capita & verba ipſa ſunt: *Promitto ego Bo-* „ *nifacius Dei gratiâ Epiſcopus, tibi, Beate Petre Apoſtolorum* „ *Princeps, Vicarióque tuo B. Gregorio Papæ, & ſucceſſoribus* „ *ejus, me omnem fidem & puritatem ſanctæ fidei Catholicæ* „ *exhibere, & in unitate ejusdem fidei perſiſtere, &c. fidem &* „ *puritatem prædicto Vicario atque ſucceſſoribus ejus per omnia* „ *exhibere &c.* Ea certè profeſſio ſpiritualibus tantùm vincu- „ lis Bonifacium obligabat, fideíque formulæ Catholicæ non „ alia ferè addebat, quàm quæ neceſſaria erant Legati Apo- „ ſtolici officia, vel Primatis & Vicarii Sanctæ Sedis, nimi- „ rum ut urgeantur Epiſcopi ad obſervantiam Canonum, De- „ cretorúmque Pontificiorum, & ſi quæ difficiles occurrent „ difficultatum moles, ut commoneatur Pontifex, qui eas au- „ thoritate ſuâ amoliatur - - - - - Narrat idem ipſe Bonifacius „ in Epiſtola ad Cutbertum Epiſcopum data, *Epiſt.* 105. eam „ ſe profeſſionem elicuiſſe ab omnibus Epiſcopis Concilii à ſe „ coacti. *Decrevimus in noſtro Synodali conventu, & confeſſi* „ *ſumus fidem Catholicam, & unitatem & ſubjectionem Romanæ* „ *Eccleſiæ, finetenus vitæ noſtræ velle obſervare; Sancto Petro* „ *& Vicario ejus velle ſubjici; Synodum per omnes annos con-* „ *gregare, Metropolitanos Pallia ab illa Sede quærere: & per* „ *omnia præcepta Petri ſequi Canonicè deſiderare. Iſti confeſ-* „ *ſioni univerſi conſenſimus & ſubſcripſimus.* „

Hoc Decreto duo *innovari* obſervat Thomaſſinus *ibid. n.* 11. Ea ſunt, quòd ſinguli Epiſcopi jurent, ſe præcepta Romani Pontificis Canonicè ſecuturos; dein quòd Metropolitani ad Pallia ab Apoſtolica Sede quærenda ſe ſe obligent. His certè illi conſtituuntur ejusdem Sedis Vicarii, eóque titulo ab Epiſcopis Suffraganeis ſuis memorata juramenta nomine & loco ſummi Pontificis recipiunt. Abinde cœperunt Pontifices magnum illum influxum habere in promotiones ſeu conſtitutiones Epiſcoporum Germaniæ atque Galliæ, quo antè gaviſi minimè fuerant, quiſque deinceps egregia incrementa cepit. Rerum antiquarum & priſtinæ Diſciplinæ ignari, ex poſterioribus priora judicantes, ſe & alios in errorem inducunt.

IX.

Digitized by Google

IX. A diverticulò redeamus ad P. Zaccariam. Is ſolidis deſtitutus argumentis ad probandam proximam poteſtatis Epiſcopalis originem, quam à Romani Pontificis Primatu repetit, in admodùm infirmis quærit ſolatium. Poteſtas, inquit pag. 409., *Ordinis* non niſi per Conſecrationem confertur, & tamen ante eam, poſt Confirmationem, Epiſcopus poteſt exercere ea quæ ſunt *Juriſdictionis.* Viciſſim ii qui ſe Epiſcopatu abdicant, aut ab eo deponuntur, adhuc poſſunt agere, quæ ſunt *Ordinis*, licèt non poſſint ampliùs ea quæ ſunt *Juriſdictionis.* Ergo hæ duæ qualitates poſſunt ſeparari; *illam* confert Metropolitanus Conſecrator, *hanc* ſummus Pontifex. Cùm (ſic addit *pag.* 427.) Cardinales careant Pontificiâ poteſtate, eam nequaquam Electo communicare poſſunt: igitur ſupereſt, ut Chriſtus Dominus vi verborum, *Super hanc Petram &c.* communicet immediatè poteſtatem Electo: nihil ſimile eſt cùm confirmantur Epiſcopi, quibus cùm jurisdictionem communicare Pontifex poſſit, *fruſtra de aliis figmentis cogitatur.* Denique *ibid.* ex Bellarmino ſubjungit: Si haberent Epiſcopi à Deo ſuam jurisdictionem, non poſſet Pontifex illam auferre & mutare; non enim poteſt Pontifex agere aliquid contra Dei ordinationem: at certum eſt, Pontificem id poſſe & ſæpe feciſſe &c.

Ad hæc omnia & ſingula ſequens eſt adæquata & ſimplex reſponſio: Chriſtus, qui Epiſcopatum cum omnibus ſuis dotibus & qualitatibus inſtituit, fecit Eccleſiam ſuarum Clavium depoſitariam; hæc primis ſæculis utebatur *miniſterio* Metropolitani & Provincialium Antiſtitum, ad divinum illud Epiſcopale munus huic vel illi ſubjecto applicandum; hoc illi præſtabant *uno eodémque actu* Confirmationis & Ordinationis, nomine & authoritate Eccleſiæ; pòſt, volente vel permittente Eccleſiâ, idem agebat Romanus Pontifex, etiam nomine Eccleſiæ Clavium depoſitariæ, & tanquam illius *Miniſter.* Fruſtra & æque parum hìc *de figmentis* cogitandum eſt, quàm in electione atque ordinatione ſummi Pontificis; hujus poteſtas, æque ac illa Epiſcoporum, in depoſito Eccleſiæ eſt;

hæc ſtatuit, quis illum, quis hos eligat, ordinet, inſtituat; hæc, ſalvâ Epiſcopatûs & Pontificatûs ſubſtantiâ, determinat utriusque uſum; hæc (non ſolus Papa) indignos exauthorizari facit per eos, quibus hunc in finem ſuam jurisdictionem committit; hæc denique figit metam ac terminum, à quo Epiſcopus exercitium ſui paſtoralis officii, ſive quoad ea quæ Ordinis ſunt, ſive quoad ea quæ ad Jurisdictionem pertinent, inchoare debeat vel finire.

Porro illa jurisdictio epiſcopalis, quam ad epiſcopatus Electi hodie exercent poſt confirmationem, ante conſecrationem, certi etiam ante illam poſt concordem electionem, non eſt *divinæ*, ſed *canonicæ* inſtitutionis vel collationis, nec plus quàm illa ſequiori ævo enata, quæ vulgò vocatur *jurisdictio quaſi-epiſcopalis*, exercetúrque à Prælatis, Clerum populúmque ſibi ſubjectum habentibus quoad ordinationes, inſtitutiones, deſtitutiones, judicia, viſitationes absque dependentia ab alterius diœceſi, nunquam tamen in epiſcopos conſecrandis. Demum conſecrato ſi auferatûr jurisdictionis poteſtas, nihil ejus, quod characteri per conſecrationem accepto proprium eſt, aufertur, ſed ſubditi ſolummodò ſubtrahuntur, ut ſublato termino pereat relatio; quemadmodum cùm presbytero aufertur poteſtas remittendi peccata.

CAPUT II.

De Epiſcopatu pluribus in ſolidum communi. Zaccariæ in hac materia novi errores.

I.

Febroniana omnia Kauffmanno paradoxa ſunt. Tale iterum illi *Diſſert. III.* §. 1. eſt *Unitas epiſcopatûs pluribus in ſolidum communis.* Prudentioribus ſufficere poſſent & deberent, quæ in hoc argumentum prolata ſunt Operum Febronianorum *Tomo*

mo I. Cap. III. §. 1. *Tomo II. pag.* 383. *Tomo III. pag.* 18.
At quia Kauffmans & ſocii ejus adhuc ulteriora deſiderant, eis quoque hac in parte ſatisfaciendum putavi.

Imprimis ait noſter Colonienſis Doctor *cit.* §. 1. *n.* 13. intolerabile eſſe, quòd Febronius audeat Petrum de Marca ſui paradoxi approbatorem dicere. Ad eum confundendum operæ pretium eſt, ut hic exſcribamus verba doctiſſimi Archipræſulis in Diſſert. *de Forma regiminis à Chriſto inſtituta in Eccleſia.* Ea quanquam diffuſiora, attamen multùm convincentia, ſunt ſequentia. *Num.* 2. „ Chriſtus Dominus noſter „ Apoſtolis omnibus & ſingulis *in ſolidum* Eccleſiam ſuam „ fundandam, docendam & regendam commiſit, eâ tamen lege adjectâ, ut Petrus inter eos Primatum gereret, & Caput eſſet Collegii illius Apoſtolici; eo fine ſcilicet, ut præter communem cum aliis curam, unitatis conſervandæ in „ exercendo regimine ſollicitudo præcipuè & ſpecialiter illi „ competeret, &c. *Num.* 3. Cæteri quippe Apoſtoli ſic unâ „ poteſtate inſtructi ſunt *in ſolidum*, ut ejus inter ſe diviſionem faciendam & verbis Domini, & ex operis mandati „ naturâ non ignorarent. Præceperat Chriſtus, ut irent ipſi, „ & univerſi orbis homines perſonaliter inſtituerent. Porro „ cùm ſinguli terras omnes peragrare non poſſent, executio „ mandati diviſione Provinciarum inter ſe factâ illis aggrediendа erat. Quæ tamen partitio non impediebat, quin „ *ſolidum jus* adminiſtrationis penes unumquemque *remaneret*. „ Illo verò uti poterant etiam in alienis Provinciis, ſi aut „ proprii Apoſtoli abſentia, aut Eccleſiæ utilitas eam curam „ expoſceret.

„ *Num.* 5. Antequam verò auctoritas illa ad regimen „ Eccleſiæ perpetuum proponatur, diſtinguenda ſunt privilegia perſonalia Apoſtolis conceſſa, quæ illorum morte extincta ſunt, à poteſtate reali, quæ in ſucceſſores eorum „ manavit. Hæc privilegia in eo verſabantur, quòd Apoſtoli „ à Chriſto ipſo in Collegium allecti erant, excepto Matthia: „ quòd teſtes fuerunt eorum quæ docuit, & mirabilium re-

„ rum quas patravit: quòd à Spiritu Sancto in veræ fidei „ profeſſione eruditi nec fallere nec falli poterant in docendis „ populis tum verbo tum ſcripto. Quartam quæ adhiberi „ ſolet notam, de prædicando per univerſum orbem Evan- „ gelio, inferiùs diſcutiendam remitto. *Num.* 6. His demp- „ tis, reliqua omnis quæ Apoſtolis collata eſt à Chriſto aucto- „ ritas, ùt penitus neceſſaria eſt ad Eccleſiæ continuum regi- „ men, ita in ſucceſſores Apoſtolorum *univerſa* pertranſiit.

„ *Num.* 9. Hic quæri poteſt, an ſaltem in mittendis „ Apoſtolis jus aliquod ex vi Primatûs Petro competeret? „ Quod in eam incidit diſcuſſionem, quam nos facturos mo- „ nuimus: an jus per univerſum orbem prædicandi, quod „ Apoſtolis collatum fuit, ſit privilegium perſonale, an verò „ ſit poteſtas realis. Omnibus perſuaſum video, hanc pote- „ ſtatem in Petro fuiſſe *ordinariam*, quæ transeat in ſucceſſo- „ res, in aliis verò Apoſtolis fuiſſe *extraordinariam* ſive *dele-* „ *gatam*, quæ morte illorum extincta fuerit. Quæ diſtinctio „ poteſtatis extraordinariæ & ordinariæ cùm nullo Scripturæ „ fundamento nitatur, imò verò diverſis illius verbis repu- „ gnet, quæ de omnibus in commune apoſtolis loquitur: nos, „ ut puto, veriorem & faciliorem inſiſtemus viam in hac „ difficultate reſolvenda. Exiſtimamus ergo, poteſtatem do- „ cendi per univerſum orbem toti Apoſtolorum Collegio „ conceſſam, & ſingulis è Collegio. Quatenus univerſitati „ competit, remanſit in Eccleſia penes Epiſcoporum Colle- „ gium, & præcipuè penes Collegii Præſidem: Quatenus „ autem ſingulis Apoſtolis erat data, eorum morte extincta „ fuit. *Num.* 24. Pares erant (Apoſtoli) in conſortio ejuſ- „ dem poteſtatis, tum in fundandis Eccleſiis, tum in erudien- „ dis atque regendis.

Hæc non vidit D. Kauffmans; vidit autem aut videre potuit ejusdem Petri de Marca libros *de Concordia Sacerdotii & Imperii*, in quibus Ill. Auctor à priori doctrina nihil deſcivit, quinimo eandem adhuc nitidiùs expreſſit; ſic etenim docet *Lib. III. Cap.* 6. *n.* 6. „ Sanè diſſimulandum non eſt,

eam

„ eam quæ jure divino Epiſcopis quæſita eſt Eccleſiæ admi-
„ niſtrationem, nullis Decretalibus ablatam fuiſſe; quamvis
„ poteſtatis illius exercendæ modus variis conſtitutionibus va-
„ riè pro temporum ratione præſcriptus fuerit. Itaque ſi ea
„ tempora incidant, ut regendæ Eccleſiæ neceſſitas Epiſco-
„ pos à regulis recentioribus diſcedere cogat, nihil vetat, quo-
„ minus jus naturale & divinum, omiſſis formulis, quæ jure
„ novo præſcriptæ ſunt, locum habeat. Exempli causâ, ſi
„ Sedis Romanæ vacatio per multos annos protraheretur; ſi
„ hoſtium armis obſeſſa tenerentur itinera, ita ut ſecurè Ro-
„ manus Pontifex adiri non poſſet; aut ſi qui alii ſimiles aut
„ graviores caſus inciderent, jure divino aut antiquo admini-
„ ſtranda eſſet Eccleſia.

II. Ex ſolidis his fundamentis, à Petro de Marca poſitis, occurritur æquivocationibus & falſis ratiocinationibus Kauffmani & Collegarum ejus, quibus incauti in errorem induci poſſent. Ille *num.* 13. *&* 27. Canon, inquit, ſubſtantialis eſt, Sacerdotium Catholicorum à Cathedra S. Petri unitatis & originem habere & conſervationem, eique Canoni adverſatur Febroniana aſſertio quòd poteſtas Epiſcopi particularis Eccleſiæ tam latè ſe extenderit, aut extendat, quàm Epiſcopi Romani. Addit, à Thomaſſino & Tournelio æqualitatem & unitatem Epiſcopatûs in Papa & Epiſcopis aliter non agnoſci, quàm *ſoſpite & intactâ inferiorum erga ſuperiores obedientiâ.* Hæc ſi aliquid ſignificant, nihil aliud innuunt, quàm eam, quæ à melioribus Scriptoribus defenditur, omnium Apoſtolorum in poteſtate æqualitatem, & ſolidarium illud jus plurium Epiſcoporum, intelligendum eſſe *Salvo Primatu Petri.* Reliqua Kauffmanniana verba ſunt, ad hanc rem nihil facientia. Ait ille inſuper *num.* 10. Cyprianum, Athanaſium & alios quidem *Epiſcopos univerſales* nominatos fuiſſe, ſed hanc eſſe *oratoriam phraſin.* At ſi inſpiciantur & expendantur, quæ *de Geſtis & actionibus* Sanctorum illorum virorum in alienis & ſæpe remotis diſtrictibus à Febronio *Cap. III.* §. 1. pro-

prolata ſunt; cuivis facilè apparebit, nihil minùs quàm *de ſolo nomine* ibi fuiſſe & nunc eſſe quæſtionem.

Ut quæ hac in parte veri *juris & jurisdictionis* ſunt, Colonienſis Doctor ad nudos *charitatis* terminos derivet, (quod etiam facit Petrus Ballerinius *pag.* 174.) ait ille *num.* 19. neminem reprehenſurum, imò quemvis laudaturum Parochum, qui ad vicinam parochiam, profugo vel fugato ejus Paſtore, transit, ibi morientibus Sacramenta miniſtraturus; eò quòd tunc charitas urgeat, & neceſſitas *licitum* faciat, quod aliàs per legem non licet. Verùm illud charitatis officium per ſe non redderet *validum*, quod ſic in vicina parochia præſtat alienus Sacerdos, niſi ad hoc ille verum jus (regulariter quidem ſuſpenſum, attamen certis in circumſtantiis in uſum & praxim reducendum) haberet ac poteſtatem. Rem meliùs explicabimus verbis Durandi à S. Portiano Epiſcopi Meldenſis in *IV. Sentent. Diſt. XIX. Quæſt.* 2. „Loquendo abſolutè de Sacramento Pœnitentiæ, circumſcribendo omnem ordinationem Eccleſiæ, quilibet Sacerdos poteſt quemlibet peccatorem de quolibet peccato abſolvere. Secundò tenendum eſt, quòd per ordinationem Eccleſiæ factum eſt, quòd non quilibet poſſit quemlibet abſolvere, nec de quolibet peccato. Tertiò, quòd Eccleſia hoc faciendo nihil mutat eorum, quæ ſunt eſſentialia Sacramento.„

Adhuc explicatior in hac materia eſt Cardinalis Cuſanus *Lib. II. de Concord. Cathol. Cap.* 13. ubi: „In principio Eccleſiæ fuit unus tantùm Epiſcopatus generalis absque diſtinctione diœceſium per orbem diffuſus. Cauſ. VII. Quæſt. 1. Can. 6. Et propter hoc notatur in Cap. 1. de Translat. per quod ad eſſe Epiſcopi non requiritur, quòd ſit illius vel illius loci Epiſcopus, ſed ſufficit, quòd ſit generalis Eccleſiæ; ſicut Paulus & Barnabas, qui dum mitterentur, generaliter miſſi ſunt. Unde cùm poteſtas ligandi & ſolvendi, in qua fundatur omnis Eccleſiaſtica jurisdictio, ſit immediatè à Chriſto: & quia ab illa poteſtate ligandi & ſolvendi eſt divinæ jurisdictionis poteſtas: patet, omnes Epi-

„ Epiſcopos, & fortè etiam Presbyteros, æqualis poteſtatis eſſe „ quoad jurisdictionem, licèt non executionis: quandoquidem „ exercitium executivum ſub certis poſitivis terminis clauditur & „ reſtringitur propter melius, & cauſâ perducendi homines „ ad finem ſuum, ſcilicet Deum, ob quem finem finaliter „ omnis poteſtas & jurisdictio & ſtatura humana per media „ proportionata tempori & loco tendere debent. Unde ceſ- „ ſante cauſâ ſtatuti illius, quæ habet diſtinctionem termino- „ rum, & quòd nullus alterius terminum ingrediatur; puta „ vel ob negligentiam inferiorum, vel neceſſitatem; tunc „ ceſſant illa poſitiva jura. Et hoc videmus, dum ſumus „ extra humana poſitiva jura, in naturali ſcilicet jure, tem- „ pore neceſſitatis; quando tunc omnis Sacerdos à quocun- „ que delicto, etiam à Papa excommunicatum, & qualem- „ cunque abſolvit. Unde adminiſtratio neceſſariò partim erit „ de jure poſitivo quoad gradus majoritatis & inferioritatis. „ Quod enim diœceſes ſint diſtinctæ, & unus Epiſcopus ſu- „ per Presbyteros ad unitatem conferendam conſtitutus, hoc „ eſt de poſitivo jure, Deo tamen inſpirante &c.„

III. Scio plures Theologos, & inter hos Ballerinium *pag.* 10. 163. & 174. ratione univerſalis poteſtatis à Chriſto omnibus Apoſtolis conceſſæ diſcrimen ſtatuere, quaſi Petro eadem attributa fuiſſet tanquam *ordinario* Paſtori; cæteris autem Apoſtolis tanquam Paſtoribus *extraordinariis*: unde colligunt, univerſalitatem illam jurisdictionis (ad quam referunt jus ubique Evangelium prædicandi, ubique Eccleſias particulares & Epiſcopatus erigendi, conſecrandi Epiſcopos, Presbyteros &c.) ad ſolos Petri ſucceſſores divino jure fuiſſe transmiſſam, perpetuò in Eccleſia duraturam: non transiiſſe autem ad ſucceſſores Apoſtolorum. Verùm diſtinctio poteſtatis ordinariæ & extraordinariæ inter Apoſtolos juri divino, Sacræ Scripturæ (uti jam ex Petro de Marca obſervavimus) contraria, & antiquis fuit planè incognita; eſt ea partus juniorum Theologorum, omnia ex moderno aſpectu & uſu Pontificiæ poteſtatis menſurantium. Excepto Primatu omnes

 Apo-

Apoſtoli ex æquo pares crediti: excepto Primatu omnes Epiſcopi Apoſtolorum in ſolidum ſucceſſores: excepto Primatu omnes unius ejusdémque poteſtatis ac jurisdictionis conſortes ex aſſe. Id in ſuis Epiſtolis paſſim docent *Clemens Romanus*, *Ignatius Antiochenus*, *Cyprianus Carthaginenſis*, *Pacianus Barcinonenſis*, cæteri miro conſenſu. Verum itaque manet, poteſtatem à Chriſto inſtitutam & collatam, ordinariam fuiſſe & in Petro & in cæteris Apoſtolis: Verùm, ùt Romanum Pontificem Petro, ita Epiſcopos Apoſtolis ſucceſſiſſe jure divino: Verum, in utrisque univerſalem fuiſſe ſuo modo jurisdictionem & poteſtatem, tam univerſalitate locorum quàm rerum: Verum denique, ſuo modo utrosque fuiſſe Epiſcopos œcumenicos. Scilicet ex illis verbis, *Paſce oves meas*, ſatis intellexit Petrus, curam Primatûs officio reſpondentem ſibi demandatam tantum patere, quantum univerſus orbis. Ex illis autem verbis, *Ite in mundum univerſum*, ſtatim intellexerunt cæteri Apoſtoli, tantum orbis ad prædicandum, baptizandum & docendum ſibi commiſſum eſſe, quantum quisque peragrare poſſet.

IV. Minore, imò vix ullâ attentione dignum eſt, quod de celebri ſententia S. Cypriani: *Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur*, ingerit Ennodius Faventinus *pag.* 51. dicens, Febronium eâ *cum Hæreticis* abuti: Ait enim ex ea ſententia tantùm colligi poſſe, quòd ſinguli Epiſcopi habeant quidquid Epiſcopatui eſſentiale eſt, integram ſcilicet Ordinis poteſtatem Epiſcopatui eſſentialem & intrinſecam, quæ non ſecus ac Epiſcopatus, una & indiviſibilis eſt. Sed non attigit vir bonus ſenſum atque vim expreſſionis *in ſolidum*, Jurisconſultis quàm Theologis notiorem; eam ille meliùs intelliget ex verbis Illuſtriſſimi de Marca, quæ paulò antè exſcripſimus. Scilicet jus quod multis *in ſolidum* competit, obligatio quæ plures in ſolidum ligat, ita illis & inter illos communis eſt, ut ſinguli totum jus exercere, ſinguli pro tota obligatione poſtulari valeant. *Leg.* 2. *Leg.* 3. §. 1. *& Leg.* 8. *ff. de Duobus reis conſtituendis.*

Enno-

Ennodii explicatione clauſulæ *In Solidum* multò adhuc imperitior eſt Zaccariana in Antifebronio Vindicato Tom. I. ubi Auctor pag. 458. „In ſolidum, inquit, idem eſt quod „ *indiviſè*, æquo ſcilicet Epiſcopalis ordinis jure, quo alter „ alteri nihilo ſuperior eſt, imò omnes in magna partium „ Epiſcopalis jurisdictionis diverſitate pares omnino ſunt inter „ ſe - - - - - Et tum pag. 459. *Quid ergo in ſolidum eſt*, „ *niſi ſolitariè*, & *ſine alterius æqualis conſortio.*„

Æque inepta eſt explicatio *Epiſcopatûs unius* & *univerſalis*, quam ex Bellarmino refert noſter Jeſuita *pag.* 454. ſcilicet: *Quomodo multi arboris rami ſunt una arbor, multi rivi una aqua, multi radii una lux; ſic Eccleſia eſt una, & Epiſcopatus unus in radice.* Etenim hæc omnia neque explicant neque exhauriunt illud Cypriani à Jure Canonico adoptatum: *Epiſcopatus unus eſt, cujus* A SINGULIS IN SOLIDUM *pars tenetur.*

V. „ Si Febroniano more Eccleſiæ res conſtitueremus, „ Epiſcoporum quilibet univerſalis foret Eccleſiæ Paſtor, totiúsque Chriſtiani orbis Antiſtes; quod ipſi Romano Pon- „ tifici Febronius omni ſtudio negat. „ ita Zaccaria *l. cit. pag.* 508. Quàm ineptè! Nimis familiare eſt viro huic, res jam abundè explicatas obſcurare, eo ſtudio, ut minùs attentis nebulas objiciat. Repetemus itaque in ejus & ei adhærentium obſequium, quinimo in eorum confuſionem, quæ Tomo I. Febron. Cap. VII. §. 3. pag. 550. dicta ſunt.

„ Diviſis diœceſibus manſit quidem *ſolidaria* illa primo- „ rum Eccleſiæ Paſtorum ſollicitudo & obligatio, ſed ſine „ præjudicio jurium cuique Epiſcopo in ſuo diſtrictu, id eſt „ diœceſi, privativè attributorum. *Singulis Paſtoribus*, ait S. „ Cyprianus, *portio gregis fuit adſcripta, quam regat unus-* „ *quiſque & gubernet.* Fuit hæc diſciplina confuſioni tollen- „ dæ viſa adeo neceſſaria, ut Eccleſia variis Canonibus eam „ ſtabilierit, ac frequenter ſeveréque Epiſcopis interdixerit in „ aliena diœceſi quidquam agere vel ordinare. Plures anti- „ quos Canones in hanc rem profert Gratianus *Cauſ. IX.*

 Quæſt.

Digitized by Google

„ *Quæſt.* 2. Pertinet hæc prohibitio peræque ad Romanos „ Pontifices, quibus in aliorum Epiſcoporum diœceſibus nullam immediatam *Epiſcopalem* jurisdictionem competere tot „ argumentis hoc Opere probamus. Dixi *Epiſcopalem* jurisdictionem: Cautâ ſiquidem diſcretione ſecernendum eſt *jus* „ *Epiſcopale* Romani Pontificis ab ejus *Primatu*: illud par eſt „ juri cæterorum Epiſcoporum, & iisdémmet limitibus circumſcriptum, hic per ſe non importat jus functiones Epiſcopales ordinarias in alienis diœceſibus exercendi &c. „ Hoccine eſt quemlibet Epiſcopum conſtituere univerſalem Eccleſiæ Paſtorem, totiúsque Chriſtiani orbis Antiſtitem? Hoc potiùs eſt negare cuivis Epiſcopo, & inter hos Romano Præſuli, univerſalem *Epiſcopatum*, ſed non negare huic univerſalem *Primatum*; quæ duo adverſarius, ſi non malitiosè, ſaltem valde imprudenter confundit.

Non magis exactè loquitur Zaccaria, dum pag. 455. inquit: *Tenent Epiſcopi, tenet Romanus Pontifex magni illius Epiſcopatûs partem, ſed non æqualem, ſed non eodem modo tenent.* Sanè *magni* illius & *ſolidarii* illius *Epiſcopatûs* partem omnes tenent æqualem, uti ampliùs videbimus *Cap.* 4. ſed unus habet *Primatum* inter Epiſcopos, qui horum jura non minuit, ſed pro muneris ſui exigentia tuetur & ſervat.

VI. Sequamur porro virum noſtrum *pag.* 506. ſic diſſerentem: „Cæterùm ut *Febronius* intelligat, ne hilum quidem „ eſſe in ſua illa adſertione veritatis, unum ferè Cyprianum „ advocabo. Repetamus ergo animo, quæ ſuperiore Capite „ (*pag.* 496.) de *Arelatenſi Marciano* indicavimus. *Novatianorum* ille partibus ſe ſe addixerat. Quamobrem ejus cauſa cum cauſa fidei erat maximè conjuncta. Quid tamen „ *Cyprianus?* Quod charitatis erga *Arelatenſem* Eccleſiam „ præſtare officii & poterat & debebat, præſtitit ad *Stephanum Romanum* Pontificem litteris, quibus illum moneret, „ ut *dirigeret in Provinciam - - - & ad Plebem* Arelate „ *conſiſtentem litteræ, quibus abſtento* Marciano, *alius in locum* „ *ejus ſubſtitueretur, & grex Chriſti, qui in hodiernum ab illo* *diſſi-*

Digitized by Google

„ *diſſipatus & vulneratus contemnebatur, colligeretur.* At „ quod in illam Eccleſiam jurisdictionis erat, non ſibi *Cy-* „ *prianus* adrogavit. Cur enim, ſi, ubi de Religione agitur, „ Epiſcopi jus in alienas Eccleſias dicere poterant, *Cyprianus* „ ipſe ad *Arelatenſem* Plebem non ſcripſit, juſſitque *Marcia-* „ *num* exauctorari? ſed ad *Stephanum* confugit, cujus juſſio- „ ne in ordinem optimi gregis vaſtator redigeretur? „

Hactenus Zaccaria. Ego autem dico, neque *Cyprianum*, neque *Stephanum* ullum jurisdictionis actum in *Marcianum* exercuiſſe aut exercere voluiſſe. Primæ vices erant Epiſcoporum Galliæ, præcipuè autem Arelatenſis Provinciæ, corrigere, ac demum ſervatâ Canonum formâ exauctorare Epiſcopum hæreſeos fautorem, conformiter ad Canonem Antiochenum XIV. & XV. nec non Sardicenſem III. IV. VII. Illis id præſtare negligentibus, Primatis Eccleſiæ erat officium eos monere, finaliter mediis ad id idoneis atque legitimis compellere. *Primatis*, inquam, hoc præcipuè erat officium. Etenim *quisquis eſt primus in aliqua ſocietate, is lege naturali tenetur invigilare, ut leges ſocietatis ſerventur. Cùm verò qui id procurare tenetur, neceſſariâ auctoritate inſtructus eſſe debeat, refragantes ad id compellendi mediis ſyſtemati convenientibus, & per Canones eum in finem ſtatutis, hinc minimè dubitandum, quin talis auctoritas Rom. Pontifici quâ Primati univerſali competat.* Ita Febronius Tom. I. Cap. II. §. 4. n. 2.

Potuiſſet ſanè Cyprianus ipſe ad Epiſcopos Galliæ ea de re epiſtolas dare, potuiſſet finaliter ipſe, ſi Galli remedium malo non tuliſſent, ſuam eis, maximè autem *Marciano*, communionem negare; ſed maluit ſervare juris ordinem, quia commodè poterat. Cæterum Stephanus Papa Marcianum non depoſuit, multò minùs ei ſucceſſorem dedit, proinde nullum hic jurisdictionis actum exercuit. Vid. *cit. Cap. II.* §. 9. *pag.* 134. Quòd ſi Galli à Papa moniti Marcianum deponere obſtinatiùs recuſâſſent, potuiſſet *Stephanus* eis ſuam & Eccleſiæ communionem negare; habuiſſet certè hæc ex-

P 3 com-

communicatio extenſiorem vim atque effectum quàm illa *Cypriani*; ſed necdum fuiſſet actus jurisdictionis propriè talis.

Argumentum, quod adverſarius *pag.* 507. ex S. Auguſtini Epiſt. XXXIV. Maur. edit. trahit, vel nullum eſt, vel ipſimet contrarium. Etenim non putavit Sanctus Pater (quod quidam ei perſuadere conabantur) *Proculejanum Epiſcopum* in ſua diœceſi alieno auxilio indigere. Quòd ſi tamen (ſic ille modeſtè ait) ſe ad diſputandum cum hæreticis imparem exiſtimaret, cujus, inquit, voluerit Collegæ auxilium imploret. Hic certè non erat caſus ille evidentis neceſſitatis aut utilitatis, de quo nos hîc agimus, ſed potiùs evidentis diſcretionis in S. Auguſtino.

VII. Cùm Febronius in Præfatione Tomi II. dixiſſet, S. Paulum non monuiſſe Epiſcopos, ut quisque eorum ſolùm attendat parti gregis, qui ſibi obveniret juxta diviſionem diœceſium, ex divinâ Apoſtolorum prudentiâ jam cœptam, ſed ut univerſo gregi invigilent: *Attendite vobis & UNIVERSO gregi*; reponit Zaccaria pag. 519. „ Itane? Hæc Paulus? „ non veretur Febronius ipſa Apoſtoli, atque adeo Spiritûs „ Sancti verba obtruncare? Integram Pauli ſententiam reci- „ tamus: *Attendite vobis & univerſo gregi*, IN QUO *vos* „ *Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei.* Quàm „ diverſa ſunt hæc! non univerſo gregi, ſeu univerſæ Eccle- „ ſiæ Spiritus Sanctus præpoſuit Epiſcopos, ſed omni illi „ gregi, *in quo* Epiſcopatûs partem nacti ſunt. „ Sic declamare hiſtrionum eſt; horum perſonam noſter Jeſuita agit frequenter, & dexterè admodum. Videamus interim, quis noſtrûm hoc loco verba Spiritûs Sancti obtruncârit, conferamus eum in finem recitata verba Doctoris Gentium cum illis Chriſti apud Matth. Cap. XVI. *Euntes in mundum* UNIVERSUM *prædicate Evangelium* OMNI CREATURÆ, nec non illis Matthæi XX. *Euntes docete* OMNES GENTES: & conſideret quisque prudens, an non verba Palui *Attendite vobis &* UNIVERSO GREGI æque latam habeant ſignificationem. Non dixit Apoſtolus Epiſcopis, *parti gregis*, ſed *uni-*

univerſo gregi dominico attendite; quantùm ſcilicet quisque eorum prudenter valeret.

CAPUT III.

Inſtitutio & partitio Diœceſium ex facto hominum eſt, & absque præjudicio univerſalis Epiſcopatûs. Diſtinctio inter poteſtatem Epiſcoporum & Presbyterorum reſpectu univerſalitatis. Novæ calumniæ P. Zaccariæ.

I.

Ampliſſimâ hac, univerſali, & illimitatâ pro toto terrarum orbe poteſtate donati Apoſtoli, nihilominus orbem ipſum de communi conſilio partiti ſunt inter ſe, tum ut Apoſtolatûs miniſteria perfectiùs & facilius obirent; tum ad præcavenda & removenda in poſterum ſemina diviſionum. Itaque ſinguli ſingulas Provincias Chriſto debellandas & regendas ſuſcepere. *Jacobus minor* Jeroſolymitanæ Eccleſiæ præfectus eſt: Antiochenam, Alexandrinam & Romanam fundavit *Petrus*: Epheſinam cum cæteris Aſianæ Provinciæ *Joannes*: Achaicam, cujus Metropolis Corinthus, *Andreas*: Indiam *Thomas*; Creteniem & Illyricanam *Paulus*: & ſic alii alias. Atque hæc prima origo fuit Diœceſium & Parœciarum dividendarum; quam non à divino, ſed ab humano jure eſſe inter doctiores convenit.

II. Hac de re ita Dominicus Soto *IV. Sentent. Diſt. XX. Quæſt.* 1. *Art.* 2. *Concl.* 4. „ Cùm utraque pleniſſima jurisdictio de eſſentia ſit Apoſtolici muneris, utramque à Chriſto omnes immediatè ſuſceperunt, atque adeo unusquisque erat per Chriſtum Epiſcopus univerſi orbis, quem ideo inter ſe partiti ſunt, ut unusquisque ad ſuam plagam diverte-

„ verteret. „ Videmus hinc in Apoſtolis jurisdictionem in omnem locum atque ad omnes actus, proindéque ſupremam & abſolutam, illæſo tamen Primatu Petri. Videmus item in Apoſtolis jurisdictionem divinâ inſtitutione univerſalem, atque adeo illimitatam pro toto orbe; quam tamen Apoſtoli de communi conſenſu ad certas Provincias, quoad uſum & exercitium reſtrictam, inter ſe partiti ſunt. Quod ſic jure divino inviolato facere potuit Collegium Apoſtolorum, per ordinem ad univerſitatem locorum; facere potuit Corpus Succeſſorum qui ſunt Epiſcopi, per ordinem tam locorum quàm rerum. Porro quod Eccleſiaſticis adeoque humanis legibus, reſtringi ad certa loca certáſque res poſſit auctoritas in divina inſtitutione ſua nullis circumſcripta limitibus: id non majorem difficultatem præ ſe fert in poteſtate pro foro *externo*, quàm in poteſtate pro foro *interno*; utraque enim divinæ inſtitutionis eſt: utraque à Chriſto immediatè hauſta. At quod ad forum internum attinet, legimus Capite præcedente n. 2. ex Durando *in IV. Sentent. Diſt. XIX. Quæſt.* 2.

Alphonſus à Caſtro *de Juſta hæreticorum punitione Cap.* 24. „ Fateor, inquit, Epiſcopatuum diviſionem, qua quisque „ Epiſcopus ſuos habet particulares ſubditos, jure humano „ introductam eſſe: & merito ad evitandum confuſiones & „ diſſenſiones, quæ facilè oriri poſſent, niſi talis diviſio facta „ fuiſſet, qua ſuas quisque agnoſceret oves, & ab alienis ab„ ſtineret. „ Ex eo, quod non obſtante hac Eccleſiarum diviſione, Epiſcopus in aliena Diœceſi urgente neceſſitate ordinet (quod ſæviente perſecutione Valentis Imperatoris feciſſe memoratur à Theodoreto S. Euſebius Samoſatenus) & extra parœciam abſolvat Presbyter, quod in articulo mortis omnibus licet: rectè concludit Cardinalis Cuſanus *Lib. II. Cap.* 13. deſignationem terminorum & ſubditorum non eſſe à divino, ſed ab humano jure inſtitutam in Eccleſia, proinde hoc inſtituto Eccleſiaſtico - politico non derogari juri ordinis Epiſcopalis & Sacerdotalis, quæ immediatè à Deo eſt, ſed per illud tantùm temporarium impedimentum poni ordinis & jurisdictionis

ctionis exercitio. Verba doctiſſimi Cuſani dedimus *Cap. præced.*

III. His non obſtat quod tradit Almainus in *Expoſitione circa Deciſiones Ockami Cap. 5. Opp. Gerſon. Tom. II. pag.* 1027. ſcilicet: „Quod ſit aliquis, qui habeat regere totam Chriſtianitatem, eſt ex inſtitutione Chriſti: & quòd aliquis regat hunc „ Epiſcopatum, eſt ex inſtitutione humana. „ Etenim hæc diverſitas manat ex natura rei. Quòd non plures, ſed unus, tanquam Primas, pro bono unitatis, univerſalis Eccleſiæ ſollicitudinem gerat, ex divino & providiſſimo Chriſti inſtituto eſt; quod non poſſunt mutare homines: Quod Mediolani, quòd Pariſiis, quòd ſexcentum aliis in locis particulares Epiſcopatus ad evitandas confuſiones & diſſenſiones exiſtant, convenienter ordinavit Eccleſia, attribuendo mediâ ordinatione cuivis tot Epiſcoporum eadem jura, eandem poteſtatem, quam ex ejusdem Salvatoris noſtri dono, primùm Apoſtoli, & poſt hos pauciores, qui tunc erant, in Eccleſia Epiſcopi obtinuerant.

IV. Inſtitutioni Diœceſium & Epiſcopatuum pauca addamus de inſtitutione Primatum & Metropolitanorum, non auctoritate unius Romani Pontificis, ſed Eccleſiæ factâ. Boſſuetus *Lib. XIII. Cap.* 15. Antonium Charlaſium omnia hæc uni Rom. Pontifici adſcribentem ſic retundit: „Metropolitanas Eccleſias, præſertim in Gallia, ſuam à ſummo Pontifice „ auctoritatem traxiſſe narrat; quo cauſæ ſuæ emolumento? „ Nempe & Paulus Titum in Creta Metropolitanum inſtituit, juſſitque, ut per Eccleſias Epiſcopos conſtitueret: an „ hìc etiam neceſſe fuit intervenire Petrum? An Petrus Epheſinam, Cæſarienſem, Heracleenſem aliáſque in Oriente primarias Sedes inſtituit, quæ non modò Epiſcopos, ſed etiam „ Metropolitanos plurimos ſub ſe haberent? Quòd verò „ Epiſcopatum toto orbe terrarum ab uno Petro & ſucceſſoribus propagatum nullâ probatione dicit, tanquam alii Apoſtoli

„ ſtoli nihil egerint: quòd non niſi auctoritate Petri diſtributas diœceſes, & cuique Paſtori ſuum aſſignatum gregem aſſerit: quòd quidquid cæteri Apoſtoli, Paulus etiam apud „ Cretenſes, egerint & juſſerint, Petri & ſucceſſorum expreſſo vel tacito conſenſu valuiſſe reſpondet. Hæc contemnenda potiùs quàm confutanda duximus, & in tanta literarum „ luce ab homine gravi dici potuiſſe miramur. „

Diu ante Boſſuetum Card. Cuſanus Lib. II. Cap. 32. *Tota*, inquit, *Eccleſia, ſive Apoſtoli, qui tum Eccleſiam repræſentabant, propinquiùs quàm ſolus Petrus Primatus inſtituerunt.* Diſt. XCIX. Can. *Nulli.*

V. Cùm ex eo, quòd extra parochiam, imò extra diœceſin urgente neceſſitate Presbyter validè abſolvat, *num.* 2. cum Card. Cuſano concludam, deſignationem terminorum non eſſe ex jure divino; video mihi ab adverſario (quod jam egit *Tom. I. pag.* 258. 302. 152.) novum *Quesnellianiſmum* impingi, quaſi poteſtatem Presbyterorum ſecundi ordinis, quod jus & auctoritatem Clavium, auctoritati Epiſcoporum velim comparare; quod quàm à Febronii doctrinis alienum ſit, nemo non videt, & nemo illi niſi P. Zaccaria fingendo imponere audet.

Differentiam ſanè latam agnoſcimus inter miſſionem Apoſtolorum, & ſeptuaginta duorum Diſcipulorum Chriſti. Illis ſucceſſere Epiſcopi; his Presbyteri Curati. Hanc differentiam exprimimus verbis Franciſci de Victoria *in Relectione de Poteſtate Eccleſiæ num.* 12. ubi hanc ponit Concluſionem: „Præter ſacros Apoſtolos nullus alius à Chriſto poteſtatem Eccleſiaſticam aliquam videtur accepiſſe. Hæc probatur etiam, „ quia in omnibus locis, ubi data eſt poteſtas, *non erant Diſcipuli.* Hæc probatur: nam ſi quisquam alius accepiſſet, „ minimè fuiſſet ex numero ſeptuaginta duorum Diſcipulorum; ſed illi non videntur accepiſſe: ergo de nullo eſt vero-

Digitized by Google

„ veroſimile, quòd acceperit. De ſeptuaginta duobus autem „ probatur, *quia in omnibus locis ubi, data eſt poteſtas, non* „ *erant Diſcipuli Chriſti.* Fuerunt enim primi & ſoli, qui à „ Chriſto Domino poteſtatem Eccleſiaſticam acceperunt, *duo-* „ *decim Apoſtoli.*

Nihil apud veteres & recentiores Theologos frequentius, quàm in Epiſcopo totam eminentiam & plenitudinem ſpiritualis poteſtatis reſidere: eſſe Epiſcopum fontem, unde ad inferiores ordines poteſtas omnis Eccleſiaſtica derivatur: Epiſcopo propterea in Sacramentorum diſpenſatione omnino ſubditos & obnoxios eſſe oportere Presbyteros, Diaconos, & totum Clerum. Rectè Thomaſſinus de Vetere & nova Diſciplina Tom. I. Lib. II. Cap. 24. n. 6. *Claves conceſſas eſſe immediatè Petro, immediatè Apoſtolis, hoc eſt Epiſcopis; ac per Epiſcopos traditas eſſe Presbyteris, quos quodammodo in ſinu gerebant & complectebantur Epiſcopi.* Nec minùs accuratè Petrus Aurelius Tomo II. in Apologia Cenſuræ Sorbonicæ pag. 225. „ Parochorum officium, ſi minùs inſtitutionis Di- „ vinæ ſeorſum in ſe eſt, at eſt in Epiſcopo, quia in Epiſco- „ po incluſum à Chriſto eſt, ùt in fonte ac plenitudine Ec- „ cleſiaſticæ ac Hierarchicæ poteſtatis, cujus Parochialis pote- „ ſtas eſt decidua pars, ab Epiſcopo in Parochos, ùt à fonte „ in rivum transfuſa.„ His adde locum Toſtati Epiſcopi Abulenſis, quem referemus infrà *Cap. V. n. 2.* Confer etiam, quæ de hac materia ulteriùs dicturi ſumus *Diſſert. IV. Cap. 2. n. 3.*

Ex his concludimus, quòd, quanquam Parochus extra ſuam parœciam, imò extra diœceſin, ex benignæ matris Eccleſiæ conceſſione in caſu neceſſitatis abſolvere valeat; hæc ab Epiſcopali auctoritate nudè dependens, & ex ea exiens facultas, *quoad univerſalitatem juris*, cum Epiſcopatu in nullam comparationem venire queat.

CAPUT IV.

De æqua inter omnes Apoſtolos poteſtate, excepto Primatu Petri. Variæ in contrarium P. Zaccaria ineptiæ.

I.

Febronius paragraphum ſeptimum ſui Capitis I. Tom. I. ſic inſcripſerat: *Omnium Apoſtolorum in Eccleſiaſtica poteſtate æqualitas* (*ſalvo Petri Primatu*) *ex Scriptura demonſtratur* &c. Colonienſis Doctor Kauffmans ſuæ Diſſertationis I. §pho ſeptimo hanc præſcripſit rubricam: *Refellitur paradoxon Febronii de æqualitate Apoſtolorum, & forma Regiminis Eccleſiaſtici.* Videamus, an doctrina de æquali omnium Apoſtolorum poteſtate tam ſit *paradoxa*, quàm vir ille, intra anguſtos Theologiæ ſuæ Scholaſticæ cancellos recluſus, ſibi figurat. Sanè docent quamplurimi iique nobiliſſimi Theologi & Canoniſtæ, excepto Primatu, nullâ re aliâ cæteris Apoſtolis majorem fuiſſe Petrum.

Veræ hujus doctrinæ facilè anteſignanus eſt S. CYPRIANUS in Libro *de Unitate Eccleſiæ*, quem Gratianus ſuo quoque Decreto inſeruit *Diſt. XXIV. Quæſt.* 1. *Cap.* 18. „ Loquitur Dominus ad Petrum: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus* &c. Et iterum eidem poſt reſurrectionem ſuam dixit, „ *Paſce oves meas.* Super illum unum ædificat Eccleſiam „ ſuam, & illi paſcendas mandat oves ſuas. Et quamvis Apo„ ſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam PAREM POTE„ STATEM tribuat & dicat, *Sicut miſit me Pater, & ego* „ *mitto vos; accipite Spiritum Sanctum* &c. tamen ut unita„ tem manifeſtaret, unitatis ejuſdem originem ab uno inci„ pientem ſuâ auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique & „ cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, PARI CONSORTIO „ PRÆDITI ET HONORIS ET POTESTATIS: ſed „ exordium ab unitate proficiſcitur, & Primatus Petro datur,

ut

Digitized by Google

„ ut una Chriſti Eccleſia & Chathedra una monſtretur. Et
„ Paſtores ſunt multi, & grex unus oſtenditur, qui ab Apo-
„ ſtolis omnibus unanimi conſenſione paſcatur, & Eccleſia
„ Chriſti una monſtretur.

Cyprianum ſequitur GELASIUS PAPA Tractatu adverſùs Græcos apud Sirmondum in Append. Cod. Theodoſ. pag. 184. & 187. ubi, *Numquidnam*, ait, *reliqui ſancti & beati Apoſtoli non erant ſimili virtute ſuccincti? Quis hoc audeat affirmare? Sed ut, Capite conſtituto, ſchiſmatis tolleretur occaſio, & una monſtraretur compago Corporis Chriſti - - - - Duodecim certè fuerunt Apoſtoli, paribus meritis, parique dignitate ſuffulti, cùmque omnes æqualiter ſpirituali luce fulgerent, unum tamen Principem eſſe ex illis voluit Chriſtus.* Tantis Ducibus hanc doctrinam miro conſenſu tradunt optimi quique Theologi. Inter hos JOANNES DE PARISIIS Libro *de Auctoritate Regia & Papali Cap. X.* „ in collatione, inquit, hujus-
„ modi poteſtatis Chriſtus non poſuit aliquam reſtrictionem
„ reſpectu aliorum à Petro: licèt ex modo loquendi appa-
„ reat, quòd vellet Petrum Eccleſiæ principaliorem, & caput
„ Eccleſiæ eſſe propter unitatem conſervandam. Et intelli-
„ gendum eſt ita ſe habere, quòd in Apoſtolis tunc, quid-
„ quid potuit unus, ſicut Petrus, potuit & alius.

NICOLAUS DE CUSA *Lib. II. de Concord. Cathol. Cap. 13.* „ Scimus, quòd Petrus nihil plus poteſtatis à Chri-
„ ſto recepit aliis Apoſtolis. Nihil enim dictum eſt ad Pe-
„ trum, quod etiam aliis dictum non ſit. Nonne ſicut Pe-
„ tro dictum eſt, Quodcunque ligaveris &c. Et quanquam
„ Petro dictum eſt, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram
„ &c. tamen per petram Chriſtum, quem confeſſus eſt, in-
„ telligimus. Et ſi Petrus per petram tanquam lapis funda-
„ menti Eccleſiæ intelligi deberet, tunc ſecundum S. Hiero-
„ nymum ita ſimiliter alii Apoſtoli fuerunt lapides funda-
„ menti Eccleſiæ, de quibus habetur Apocalypſ. penult. &c.
„ Et ſi Petro dictum eſt, Paſce oves meas; tamen manife-
„ ſtum eſt, quòd illa paſcentia eſt verbo & exemplo; ita

 etiam

„ etiam ſecundùm S. Auguſtinum omnibus idem præce-
„ ptum eſt, ibi: Euntes in univerſum mundum &c. Nihil
„ reperitur Petro aliud dictum, quod poteſtatem importet
„ aliquam. *Ideo rectè dicimus omnes Apoſtolos in poteſtate*
„ *cum Petro æquales.* Inſuper eſt ad memoriam reducendum,
„ quòd in principio Eccleſiæ fuit unus tantum Epiſcopatus
„ generalis, absque diſtinctione diœceſium per orbem diffu-
„ ſus. *Cauſ. VII. Quæſt. 1. cap. 6.*

II. FRANCISCUS DE VICTORIA Ord. S. Dominici in Academia Salmanticenſi Primarius Theologiæ Profeſſor; de cujus laudibus plura vide in Pallavicini *Hiſt. Concil. Trid. Lib. XIX. Cap. 6.* is inquam *Relectione II. de Poteſtate Eccleſiæ*, poſtquam dixiſſet *num. 9.* pro certo ſibi videri pronuntiandum & tenendum, Apoſtolos omnes accepiſſe utramque poteſtatem à Chriſto: hæc è veſtigio ſcribit *num.* 10. „ Sed
„ ſupereſt dubium, *an æqualem acceperint cum Petro*? Nam
„ hæc etiam quæſtio in utramque partem habet aſſertores.
„ Sed quia ad majora feſtinanti non vacat utriusque partis
„ fundamenta tradere, pro ſententia, quam veriorem puto,
„ pono concluſionem. *Apoſtoli omnes habuerunt æqualem pote-*
„ *ſtatem cum Petro.* Quod ſic intelligo, quòd quilibet Apo-
„ ſtolorum habuit poteſtatem Eccleſiaſticam *in toto orbe & ad*
„ *omnes* actus, *ad quos Petrus habuit.* Non tamen loquor
„ de illis actibus, *qui ſpectant ad ſolum ſummum Pontificem*,
„ ut eſt Congregatio generalis Concilii ------ Hæc (pote-
„ ſtas) probatur quoad primam partem ex loco jam citato
„ Matth. ult. *Euntes in mundum univerſum &c.* Et ſine
„ exceptione Matth. XVIII. *Quæcunque ſolveritis &c.* Et
„ Joan. XX. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Chri-
„ ſtus autem miſſus fuerat in totum orbem: ergo & in to-
„ tum orbem ipſe miſit Apoſtolos.

„ Secunda verò pars, quoad omnes actus, videtur poſ-
„ ſe probari ex eo, quòd, ùt dictum eſt, auctoritas guber-
„ nandi eſt de ratione Apoſtolatus: & non videtur, quòd ſit
„ limitata, quia nullâ ratione diceretur, quòd ſe extendat ad
certos

Digitized by Google

„ certos actus, & non ad alios. Sed potiùs probatur ex geſtis Apoſtolorum ipſorum, qui ubique terrarum conſtituebant Eccleſias & Epiſcopos, & leges ferebant pro poteſtate: nec apparet, quid Petrus poſſet, dimiſſis iis, quæ ad ſolum Pontificem attinent, quod non & alii. Et Paulus ad Gal. 1. &. 2. ſatis defendit, ſe parem poteſtatem cum Petro habere. Hæc eſt ſententia Cypriani in Epiſtola de Unitate Eccleſiæ ad Novatianum, & habetur XXIV. Quæſt. 1. *Hoc utique erant cæteri Apoſtoli quod Petrus, pari conſortio præditi bonoris & poteſtatis.* Nec audienda eſt Gloſſa dicens, hoc debere intelligi de ordine & dignitate conſecrationis, non de poteſtatis plenitudine, uti patere poteſt ipſam Epiſtolam Cypriani legenti. „

DOMINICUS SOTUS *in IV. Sentent. Diſt. XX. Quæſt.* 1. *art.* 2. *concl.* 4. in hunc modum ſcribit: „ Cùm utraque pleniſſima jurisdictio de eſſentia ſit Apoſtolici muneris, utramque in Chriſto omnes Apoſtoli immediatè ſuſceperunt, adeoque unusquisque erat per Chriſtum Epiſcopus univerſi orbis - - - - Omnibus ampliſſimam dedit jurisdictionem Matth. XVIII. Quo fit, ut in munere Apoſtolico omnes fuerint æquales Petro: niſi quòd Petrus tamquam Eccleſiæ Caput erat eorum Præſes, ut Concilium convocaret, ùt Act. XV. legitur, & alia obiret Præſidentis officia. „

III. PETRUS DE MARCA in Diſſertatione *de Singulari Primatu Petri* (quam juſſu Innocentii X. compoſitam, & eidem Pontifici plurimùm probatam teſtatur Baluzius) *Num. IV.* hæc docet: „ Itaque nulla reperiri poteſt in Petro præ cæteris prærogativa, quod attinet ad prædicationis vel ſacerdotii munus, nec etiam quoad poteſtatem Eccleſiarum conſtituendarum, nempe præficiendo illis Epiſcopos & Presbyteros, vel etiam in reos monitionibus & cenſurâ divinâ, ut loquitur Tertullianus, animadvertendo. Et mox *Num. V.* Quod ergo jus eximium Petri? Anne ut de perſona ipſa Apoſtolorum judicium ferat? Sed eorum ſtatus, qui ſummâ erant præditi poteſtate, & à fide deficere à Deo eruditi

non

„ non poterant, à ſupremæ in Petro jurisdictionis uſu eos „ eximebat. Attamen majeſtatem ejus, ùt Capitis à Chriſto „ conſtituti, duobus præcipuè modis colere debebant. *Num. VI.* „ Primus modus colendæ in Petro Primatûs dignitatis verſa- „ batur in communione cum Capite retinenda --- *Num. VII.* „ Secundus modus colendi Primatûs is erat, ut cauſas com- „ munes ad univerſalis Eccleſiæ diſciplinam pertinentes, Apo- „ ſtoli ad eum tamquam ad Collegii & Diſciplinæ Principem „ diſcutiendas referrent.

LUD. THOMASSINUS *de Veteri & nova Diſciplina Lib. I. Cap. I. num.* 8. „ Non erant limites præfigendi eo- „ rum (Apoſtolorum) poteſtati & jurisdictioni, quorum Ze- „ lus & caritas ultra limites efferebatur. *Num.* 9. Produxit „ illos ad ſacræ poteſtatis ſummum faſtigium & ad infinitam „ quandam Sacerdotalium functionum & regiminis Eccleſia- „ ſtici opulentiam *Cap. II. num.* 4. Quæ omnia ùt in Pres- „ bytero certam & determinatam obnoxiámque poteſtatem „ denotant: ita in Epiſcopis abſolutam penitus oſtentant & „ interminatam. *Cap. VI. num.* 9. Convenit quippe Theo- „ logis & Canoniſtis, Apoſtolis infuſam à Chriſto plenitudi- „ nem poteſtatis ſpiritualis, cui limites præfigere nefas ſit „ ullos. *Num.* 19. Donatos à Chriſto fuiſſe Apoſtolos po- „ teſtate Sacerdotali quadam infinitâ & prorſus pari. Demum „ *Lib. II. Cap.* 59. *n.* 4. Quaſi in hæreditatem & ſucceſſio- „ nem adſciti eſſent Patriarchæ immenſæ illius poteſtatis, quam „ commiſit Chriſtus Apoſtolis, ac præſertim Petro ----- „ Conducibile fuit, ut aliqua ſupereſſent veſtigia primigeniæ „ illius inſtitutionis Chriſti, quæ Apoſtolorum tam non ullos „ definiebat limites poteſtati, quàm nec caritati.

IV. Tot Gallis & Hiſpanis Theologis tandem accedat ROB. BELLARMINUS *Lib. IV. de Rom. Pont. Cap.* 23. ubi „ Quòd, inquit, acceperint Apoſtoli à Chriſto immediatè „ ſuam jurisdictionem, primùm teſtantur verba Domini Joan- „ nis XX. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Quem „ locum ſic exponunt Patres, Chryſoſtomus & Theophila-

„ ctus,

Digitized by Google

„ ctus, ut apertè dicant, factos eſſe his verbis Apoſtolos Chriſti „ Vicarios, imò ipſum Chriſti officium & auctoritatem accepiſſe. „ Addit Cyrillus in hunc locum, his verbis propriè Apoſtolos „ creatos eſſe Apoſtolos, & orbis totius Doctores; ut intelligere- „ mus, in Apoſtolica auctoritate contineri omnem poteſtatem Ec- „ cleſiaſticam: ideo adjeciſſe Chriſtum, *Sicut miſit me Pater*; ſi- „ quidem Pater Filium miſit ſummâ poteſtate præditum. „ Cyprianus Lib. de unitate Eccleſiæ: *Loquitur*, inquit, *Do-* „ *minus ad Petrum, Tibi dabo claves regni cælorum. Et ei-* „ *dem poſt reſurrectionem ſuam dicit, Paſce oves meas. Et* „ *quamvis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem po-* „ *teſtatem tribuat, & dicat: Sicut miſit me Pater, & ego* „ *mitto vos: tamen, ut unitatem manifeſtaret, unam Cathedram* „ *conſtituit &c.* Ubi vides idem dari Apoſtolis per illa ver- „ ba, *Ego mitto vos*, quod Petro fuerat promiſſum per il- „ lud, *Tibi dabo claves*; & poſtea exhibitum per illud, *Pa-* „ *ſce oves meas.* Conſtat autem per illa *Tibi dabo claves*, & „ per illud *Paſce oves meas*, intelligi juriſdictionem pleniſſi- „ mam, etiam exteriorem. Quomodo autem hæc non im- „ pediant Petri Primatum, alibi ſatis oſtendimus. „

Si ergo tantorum Theologorum judicio, firmiſſimis rationibus & apertis ſacræ Scripturæ textibus ſuffulto, pleniſſimam & univerſalem pro toto orbe poteſtatem habere potuerunt, & revera habuerunt Apoſtoli, ſalvâ prærogativâ Petri: cur Petri ſucceſſorum Primatu ſalvo, abſolutam & illimitatam reſpectu ſingularium diœceſium poteſtatem habere non potuerunt Epiſcopi?

V. Ex eo, quod hactenus diximus, præſertim Dominico Soto duce, unumquemque Apoſtolum fuiſſe cum pleniſſima juriſdictione univerſi orbis Epiſcopum, nonnemo fortè inferet, Apoſtolis omnibus & ſingulis communem extitiſſe ſupremam illam inſpectionem generalémque ſuperintendentiam per omnes Eccleſias; quo etiam videri poſſet ſpectare illud à Paulo dictum ad Corinthios, *Inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo* OMNIUM *Eccleſiarum*; item illud ejuſdem ad Epheſios, *Attendite vobis*

& UNIVERSO *gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei.* Verùm quàm certum eſt, ſingulos Apoſtolos fuiſſe Epiſcopos totius orbis, tam certum eſt, Petro præ aliis omnibus competiviſſe curam & ſollicitudinem univerſalis Eccleſiæ. Equidem ſingulis Apoſtolis in commune dictum eſt Matth. XVIII. *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo &c.* Singulis in commune dictum eſt Matth. XXVIII. *Ite in mundum univerſum, prædicate, baptizate, docete.* Singulis in commune dictum eſt Joannis XX. *Sicut miſit me Pater & ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.* Et per hoc ſinguli Apoſtoli conſtituti ſunt Epiſcopi univerſi orbis. Attamen Petro ſpecialiter dictum fuit Matth. XVI. *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & tibi dabo claves regni cælorum: quodcunque ligaveris ſuper terram erit ligatum & in cælis &c.* Petro ſpecialiter dictum fuit Joannis XXI. *Paſce oves meas.* Et per hoc ſpecialior quædam ſollicitudo univerſæ Eccleſiæ ei injuncta fuit; quæ in quo conſiſtat, ſuo loco dicetur. Atque his plenè ſatisfactum putem iis quæ nobis noſtræque ſententiæ objecerunt Doctor Kauffmans *Diſſert. I.* §. 7. & Petrus Ballerinius *pag. 166.*

IV. Tempus eſt, ut audiamus nobis etiam adverſantem Ennodium Faventinum *Part. I. Cap. 5. pag. 32.* ita diſcurrentem: „Duplicem nos diſtinguimus collatam Apoſtolis potestatem, alteram Apoſtolatui *eſſentialem* & *intrinſecam*; alteram *accidentalem* & *extrinſecam*. Prior eſt poteſtas evulgandi ubique terrarum Evangelium, Sacramenta conficiendi „ & adminiſtrandi, Epiſcopos alióſque inferiores Miniſtros „ conſecrandi, Spiritum Sanctum dandi, Eccleſias fundandi &c. „ Poſterior eſt poteſtas Fidelibus præſidendi, eóſque regendi, in officio continendi, errantes corrigendi, uno verbo, „ in unitate continendi, & ſchiſmata avertendi. Jam verò „ priorem poteſtatem æqualem Apoſtolis omnibus à Chriſto „ collatam eſſe, nos quoque libenter fatemur; ídque colligitur

„ tur ex iis Chriſti verbis *Matth. XVIII.* *Quæcunque ligave-*
„ *ritis ſuper terram* &c. *Euntes docete omnes gentes* &c. Po-
„ ſteriorem verò poteſtatem æqualem omnibus Apoſtolis da-
„ tam eſſe negamus; idque ex Scripturæ teſtimoniis *Matth. XVI.*
„ & *Joan. XXI.* manifeſtum eſſe arbitror. „ Sanè Primatum
ſuper cæteros Apoſtolos & ſuper univerſam Eccleſiam, cum
generali ſuperintendentia pro bono unitatis, Petro & ſucceſ-
ſoribus ejus fuiſſe reſervatum & demandatum nemo dubitat;
hoc dempto *omnem* poteſtatem ſingulis Apoſtolis & eorum
ſucceſſoribus datam fuiſſe, ex præmiſſis evidens eſt. Etenim
quis negabit ſingulis Apoſtolis poteſtatem, eámque omnibus
æqualem, fidelium congregationibus, ſeu magnis, ſeu parvis,
præſidendi in illis provinciis ac regionibus, ad quas quisque
eorum pervenit? quis jus & obligationem illos in officio con-
tinendi, errantes corrigendi, in unitate continendi, tam re-
ſpectu particularium Eccleſiarum, quam Eccleſiæ univerſalis;
ſchismata avertendi &c.

Hoc ſenſu S. Cyprianus in Epiſtola ad Lapſos XXVII.
ait. „ Lege divinâ fundatum eſt, ut Eccleſia ſuper Epiſco-
„ pos conſtituatur, & *omnis actus Eccleſiæ per eosdem Præ-*
„ *poſitos gubernetur.* „ Itaque rectè & veriſſimè Lud. Tho-
maſſinus *de Eccleſ. Diſcipl. Part. I. Lib 2. Cap. 14. n. 1.* „ Ut
„ enim Chriſtus ligandi ſolvendique poteſtatem iisdem admo-
„ dum verbis contulerat Apoſtolis atque Petro: ita Epi-
„ ſcopi in vicem & munia Apoſtolorum ſuccedentes, ea po-
„ teſtate uſi ſunt *pleniſſimè* plurium ſæculorum tractu, nullo
„ circumſcripta limite intra ſuas quisque diœceſes.„ magis ad-
huc ſpecificè Claudius Fleury *de Libertat. Eccleſ. Gallic.*
pag. 423. „ Quod Sancto Petro ſpecialiter dixit Chriſtus,
„ id ipſum proportionatim referri debet ad cæteros, prout
„ omnium ſæculorum conſtans fert traditio. Itaque in iis,
„ quæ ad ordinarium gregis regimen ſpectant, *omni pote-*
„ *ſtate* gaudet quilibet Epiſcopus. Illius eſt fidem propo-
„ nere, illam explicare, quæſtiones decidere, Sacramenta ad-
„ miniſtrare, judicare, corrigere: & ubi ille officio rectè

Digitized by Google

„ fungitur, nullum Papæ jus eſt poteſtatem aliquam in pri-
„ vatum gregem exercendi.

S. Bernardus Lib. II de Conſiderat. Cap. 8. n. 16. præcipua Romani Primatûs ejúsque jura *Privilegia* vocat. Eo ſenſu Realius *de Scientia Regiminis Tom. VII. Cap. 2. pag.* 147. „ Epiſcopi in regendis Eccleſiis ſuis nihil agnoſcunt „ reſervatum Papæ, niſi quod Canonibus & receptis conſue- „ tudinibus ei reſervatum eſt, *de conſenſu quidem ipſorum* „ *Epiſcoporum*; ita ut ejusmodi reſervationes *Privilegia* quæ- „ dam ſint Apoſtolicæ Sedi conceſſa, ùt loquuntur Patres Chal- „ cedonenſes. „

Accedamus ad P. Zaccariam, viſuri, num ſolidiora ſint, quæ ille nobis objicit. Imprimis autem ait *pag.* 448. Febronii conatus eò potiſſimùm ſpectare, ut Epiſcopalem Pontificiæ poteſtatem exæquet; quod quàm falſum ſit, ex jam dictis apertum eſt.

Si, *ibid.* inquit ille, abſoluta & incircumſcripta eſt Epiſcoporum poteſtas, uti cum Pereria Febronius prætendit, quomodo alteri *ejusdem generis* poteſtati ſubjiceretur? Illud *ejusdem generis* figmentum Jeſuitæ eſt. Quis unquam ſanus cogitavit Epiſcoporum & Papæ poteſtatem *ejusdem eſſe generis?* Ab eodem certè fonte eodémque principio, quod eſt Chriſtus Jeſus, utraque procedit, ad eundem quoque ſpritualem finem ambo tendunt; ſed naturæ ſunt diverſæ. Diverſa utriusque indoles per decurſum Operis abundè explicata eſt.

Pergit Zaccaria *pag.* 449. „ Epiſcoporum jurisdictio vel „ ſuarum diœceſium finibus concluditur, vel, quemadmodum „ Archiepiſcoporum, Primatum, Patriarcharum poteſtas eſt, „ extra illos vagatur. Atque ampliorem quidem horum eſſe „ jurisdictionem quàm Epiſcoporum negaverit nemo, qui „ nominum ſignificationes non planè pervertat. „ Quàm hæc ſunt erudita! quàm valida ad evertendam omnium Apoſtolorum, omnium Epiſcoporum in poteſtate æqualitatem! Hanc verborum ſuorum infirmitatem cum ipſemet non poſſet non ſentire, mox ſubjungit: *Quod autem ad* JURIS-

DICTIO-

DICTIONEM *attinet*, *quam Epiſcopi in ſingulis ſuis diœceſibus exercent*, *æqualis illa origine dici equidem poteſt*; VI QUOQUE ATQUE EFFICACIA: Tum addit: *niſi à ſuprema poteſtate arctetur*; *arctari autem poſſe*, *quæ proximo Capite dicturi ſumus*, *palam facient*. Epiſcopalem poteſtatem *quoad exercitium* à ſuprema poteſtate arctari poſſe, nemo dubitat, ſed hoc non impedit, quominus illa *ſuâ inſtitutione* & *ſuâ naturâ* abſoluta ſit & plena. Quis autem illâ ſuprema poteſtate polleat, aptâ ad circumſcribendum Epiſcopalis poteſtatis exercitium, an *Eccleſia*, an ſolus *ſummus Pontifex*, alia eſt quæſtio, quam Capite ſequenti examinabimus.

VIII. Cùm *Tom. II. pag.* 257. pro ſolido ac generali documento abſolutæ & perfectæ jurisdictionis atque auctoritatis Epiſcoporum, involventis omnem poteſtatem neceſſariam pro bono regimine ſuarum diœceſium dediſſem cum graviſſimis Theologis & Canoniſtis jus eorum ex cauſis Canonicis diſpenſandi in quacunque lege Eccleſiaſtica, etiam Concilii generalis, idque illuſtrâſſem exemplis Translationum, evectionis Neophitorum & Laicorum ad Epiſcopatus, Bigamorum ad Sacros Ordines &c. intercedit Zaccaria *pag.* 488. ſolito ſuo minùs attentos fallendi ſtudio, ſic ajens: „ *Febronio* ſcilicet, ut cum Perſio loquar, *turgeſcit pagina* eruditis *Pereiræ* „ *nugis*. *Nugas* voco, quæ ad inſtitutum non pertinent. „ Quotus enim quisque eſt, qui neſciat, Epiſcopos juſtâ de „ causâ, atque ubi præſertim manifeſta Eccleſiæ utilitas aut „ neceſſitas id poſtulat, *neque ad ſuperiorem conſulendum aditus facilè pateat*, diſpenſare in Eccleſiaſticis legibus poſſe? „ Addit deinde: Quæ neceſſitatis præſertim causâ egerunt Epiſcopi à Canonibus diffidentia, non auctoritatem in illis ſumunt, aut arguunt incircumſcriptam, *ſed tacitam ſaltem ſuperioris conſenſionem*. Potiore jure *nugas* appellavero illas tuas, Zaccaria, in diſpenſationibus à me deſcriptis, difficultates adeundi ſuperiorem, aut ſaltem tacitum ejus conſenſum, quorum ne veſtigium quidem in illis apparet, quando ex contrario non ſolùm allegata diſpenſationum documenta juris abſoluti argumenta

 ſunt,

Digitized by Google

ſunt, ſed & productæ auctoritates jus illud diſpenſandi Epiſcopis *abſolutè* tribuunt.

Interim Fulbertus à nobis *Tom. II. pag.* 259. recitatus ad Guidonem Coëpiſcopum ſuum ſcribit, nihil ipſi à ſummo Pontifice metuendum eſſe, quòd Laicum adversùs Canones ad Archiepiſcopatum promoverit: *Dominus Papa*, inquit *Epiſt.* 38. *non habebit, quòd tibi meritò debeat ſuccenſere, ſi te graviter collapſæ ſanctæ Rhemenſi Eccleſiæ aliquam ſpem reſurrectionis audierit providiſſe.* Sic, ait Zaccaria, *pag.* 490. totum hocce negotium in Romani Pontificis voluntatem & æquiſſimam ejus interpretationem refertur. Non ſanè: Fecerat Guido diſpenſativam hanc Archiepiſcopi Ordinationem jure ſuo: fuiſſet illa, ſemotâ jam memoratâ gravi causâ, Sacris Canonibus adverſa: Rom. Pontifex ignorans ſingulas facti circumſtantias potuiſſet, quà Canonum Cuſtos, pro jure & auctoritate ſuâ Primatiali Guidonem tanquam violatorem Canonum reprehendere: verùm intellectâ causâ motivâ hujus promotionis, non ſupererat Papæ juſta ratio *ſuccenſendi* Epiſcopo ordinanti. Nihil hic dependet à *voluntate* Papæ, nihil ab ejus *interpretatione*, quantum ad *valorem actûs*.

Cætera præmiſſis leviora nullâ reſponſione digna ſunt.

CAPUT V.

Papa non poteſt invadere Epiſcoporum jura & diœceſes. Debilibus adverſariorum argumentis occurritur.

I.

Cùm Primatûs officium propriè aliud non ſit, quàm toti Eccleſiæ invigilare, ut munia ac miniſteria gradûs ſui perfectè obeat unusquisque; & ut Eccleſiæ Corpus illam diſpoſitionem harmoniámque conſervet, qua ipſum donârunt Chriſtus & Apoſtoli: ſpontè conſequitur, munus Primatis non eſſe ſibi

ſibi proprias facere operationes cæterorum Epiſcoporum, ſed tantùm operam dare, ut unusquisque ſuo ſe contineat loco, partésque omnes muneris ſui ſtrenuè exequatur ad præſcriptum juris Divini & Canonici. Huic officio rectè fungente quolibet Epiſcopo, nullam in illius Diœceſi jurisdictionem exercere poteſt Romanus Pontifex. Hoc ſenſu S. Gregorius M. poſtquam *Lib. IX. Epiſt.* 59. Joanni Syracuſano occaſione Primatis Byzareni ſcripſerat: *Si qua culpa in Epiſcopis invenitur, neſcio quis ei* (Sedi Apoſtolicæ) *Epiſcopus ſubjectus non ſit*: illico ſubjungit: *Cùm verò culpa non exigit, omnes ſecundùm rationem humilitatis* ÆQUALES *ſumus.*

Ad hanc harmoniam conſervandam omnes Canones tendunt. Atque ita ab exequendis Canonibus & à conſervatione juris ſingulorum, maximè autem integrorum Statuum ſeu Corporum, pendet, quidquid ad ſervandam unitatem, & ad tollenda ſchismata opus eſt. Quare plenam illam poteſtatem regendi Univerſalem Eccleſiam, in qua Primatum Romani Pontificis collocavit Synodus Florentina, *geſtis Conciliorum Oecumenicorum & ſacris Canonibus* eadem Synodus circumſcripſit. Hæc fuit ſententia Gregorii M. *Lib. XIII. Epiſt.* 44. (nunc 37.) ad Joannem Panormitanum ſcribentis: *Tunc ſtatus membrorum integer manet, ſi Caput fidei* (Romanum Pontificem) *nulla pulſet injuria, & Canonum manet incolumis atque intemerata ſemper auctoritas.* Et magnus Boſſuetus ad calcem Sermonis de Unitate Eccleſiæ *Tom. II. Opuſcul. pag.* 470. de Apoſtolica Sede verba faciens, exclamat: „ Quanta ejus „ auctoritas fuit, poſtquam illa majeſtatem ſuam in eo maximè „ fecit conſiſtere, ut Canonum auctoritati ſubmitteret omnem „ creaturam! „

II. Equidem nemo neſcit, omnium munerum & miniſteriorum Eccleſiaſticorum primum & præcipuum eſſe, Romanum Pontificem tanquam viſibile Eccleſiæ Caput colere & revereri. Sed & nemo ignorat, conſervari Eccleſiæ Corpus in illa diſpoſitione & harmonia, qua ipſum donârunt Chriſtus & Apoſtoli, nihil aliud eſſe, quàm ſubordinari cætera membra

bra Capiti, & cum cæteris membris Caput ipſum cohærere.
„ Quis autem negare auſit,„ (ſic ſcribit Antonius Pereria in ſua *Defenſione Tentaminis Theologici pag.* 226.) „ nullà re „ magis ad ſcindendam unitatem accendi & ſtimulari homines, „ quàm ubi juribus ſuis & antiquis libertatibus ſpoliari ſe vi- „ dent à Romano Pontifice? Teſtis antiqua Græcia, teſtis „ Anglia, teſtis Germania, teſtes tot alii Septentrionales & „ Orientales populi; quos ex ipſis Hiſtoriis conſtat abuſu & „ impotentià aliquorum Pontificum laceſſitos, ſe ſe ab Apoſtolica & Romana communione avulſiſſe.

Porro non continet ſe Pontifex ſuo, ei jure Divino & Canonico præſcripto loco, ſed Eccleſiaſticam diſpoſitionem atque harmoniam turbat, ſi ſibi approprict operationes Epiſcopis proprias, immediatam in horum diœceſanos jurisdictionem exercendo. Etenim veriſſimè ſcripſit Gerſon in Epilogo Libri *de Poteſtate Eccleſiaſtica Concl.* 2. *Opp. Tom. II. pag.* 256.
„ Plenitudo poteſtatis Papalis non ſic intelligenda eſt imme- „ diatè ſuper omnes Chriſtianos, quòd pro libitu poſſit imme- „ diatè jurisdictionem in omnes per ſe vel per alios extraor- „ dinarios paſſim exercere; ſic enim præjudicaret Ordinariis, „ *qui jus habent immediatius, imo immediatiſſimum ſuper ple-* „ *bes eis commiſſas actus hierarchicos exercendi.* Extenditur „ igitur plenitudo poteſtatis Papæ ſuper omnes inferiores, „ *ſolùm cùm ſubeſt neceſſitas ex defectu Ordinariorum inferio-* „ *rum*, vel dum apparet evidens utilitas Eccleſiæ &c. „ Similiter Toſtatus Epiſcopus Abulenſis *Quæſt.* 87. *in Matth. XVI.* „ Licèt Papa ſit univerſalis Prælatus, non eſt tamen „ Prælatus propriè immediatus omnium hominum, accipien- „ do immediatum, id eſt, quòd non habeat ſub ſe alios „ Prælatos directè ſubjectos; licèt ſit immediatus Prælatus, „ id eſt, potens uti clave immediatè ſuper quemlibet homi- „ nem. Ideo *non ſe habet omnino Papa ad omnes homines fide-* „ *les, ſicut Epiſcopus ad omnes de ſuo Epiſcopatu*: quia Epi- „ ſcopus ſub ſe nullos habet habentes ordinariam jurisdictio- „ nem; ſed Curati omnes ſunt commiſſarii: & ſic tota juris-

dictio

Digitized by Google

„ diſtio eſt Epiſcopi immediatè, & ſi nollet ponere Curatos,
„ ſed ipſe adminiſtraret, licitè faceret, ſi ſufficeret ad hoc.

Nec aliter Abbas Fleurius in *Diſſert. de Libertatibus Eccleſiæ Gall. pag.* 422. „ Nos credimus Papæ principaliter „ demandatam eſſe inſtructionem & conductionem gregis, „ quia ei dictum eſt, *Paſce oves meas, paſce agnos meos.* Sed „ nos pariter credimus, omnes Epiſcopos à Chriſto imme- „ diatè accepiſſe ſuam poteſtatem, quia ipſe omnibus Apoſto- „ lis dixit, *Accipite Spiritum Sanctum* - - - - Hinc cùm qui- „ libet Epiſcopus injunctum munus plenè obit, nullum Papæ „ jus eſt poteſtatem aliquam exercendi in privatum gregem. „ Et rurſum poſt alia *pag.* 442. „ Quod ad Diſciplinam ſpectat, „ credimus, poteſtatem Papæ Canonibus moderandam, neque „ ſupremam illam eſſe, niſi quatenus pro conſervandis Cano- „ nibus ſummo jure gaudet Pontifex. Hinc Eccleſiaſticum „ regimen non eſſe imperium deſpoticum, ſed paternum & „ caritate fundatum; in quo auctoritas Capitis ceſſat, ubi in- „ feriores officio ſuo rectè fúnguntur; emicat autem in redu- „ cendis rebellibus, & tuendis Canonibus.„ Adde ejuſdem Fleury Inſtitutiones Juris Eccleſiaſt. Part. III. Cap. 25. cujus verba *Tomo II. Febr. p.* 532. deſcripta ſunt.

Idem Abbas *cit. Diſſert. de Libertat. Eccleſ. Gall. p.* 423. „ Quod S. Petro ſpecialiter dixit Chriſtus, id ipſum propor- „ tionatim referri debet ad cæteros, prout omnium ſæculo- „ rum conſtans fert traditio. Itaque in iis, quæ ad ordina- „ rium gregis regimen pertinent, *omni poteſtate* gaudet qui- „ libet Epiſcopus. Illius eſt fidem proponere, illam explica- „ re, quæſtiones decidere, Sacramenta adminiſtrare, judicare, „ corrigere: & ubi ille officio rectè fungitur, nullum Papæ „ jus eſt poteſtatem aliquam in privatum gregem exercendi.„ Eâ ratione Advocatus Regius Guilielmus Franciſcus Joly de Fleury in Diſcurſu occaſione duorum Brevium Clementis PP. XI. de 18. Januarii an. 1710. habito coram Parlamento apud Van Eſpen Tract. de Promulgatione Legum in Append. Lit. MM. *Si tale*, ait, *attentatum autorizaretur, poſſet præten-*

dere Pontifex exercere jurisdictionem immediatam in omni ambitu Eccleſiæ: prætenſio, quam Sacri Canones, cuſtoditi in tota ſua puritate inter nos, perpetuò condemnârunt.

III. Solida hæc ſunt Theologorum & JCtorum non Galliæ ſolùm ſed & aliarum Nationum principia. Videamus, quid his objiciant Anti-Febroniani. Inter hos Petrus Ballerinius *pag. 16. 23. 24. & 185.* ità ratiocinatur: Epiſcopalis juriſdictio, licèt divinæ inſtitutionis ſit, attamen in bonum Eccleſiæ inſtituta fuit. Si nunc idem Eccleſiæ bonum exigat, ut exercitium hujus poteſtatis quodammodo reſtringatur, hæc reſtrictio ſeu moderatio ad illos haud dubiè pertinebit, quibus ab initio jus à Chriſto relictum eſt, univerſalem illum & indeterminatum (qualis primitùs fuit) Epiſcopatum ad certos populos, provincias, ſeu diœceſes reſtringendi, nec non has particulares Eccleſias ſeu Diœceſes huic vel illi Epiſcopo attribuendi. Hanc poteſtatem Apoſtolis hactenus nemo negavit; proinde nec illa hodie negari poterit Petri ſucceſſoribus, quippe in quos omne jus *ordinarium* Apoſtolorum Principis (in quo jus *extraordinarium* reliquorum Apoſtolorum poſt eorum deceſſum coaluit) ita translatum eſt, ut illi nulla humana inſtitutio valeat prævalere. Quinimo videmus Epiſcoporum facultatibus per ſtatuta Provincialium Synodorum poni modum, qui Eccleſiæ utilior ſit, & ad ejus ædificationem conducat; at hæ jure ſolùm Eccleſtiaſtico Epiſcopis præſunt, Papa autem Divino.

Indagemus, quantum in hoc argumento roboris ſit & valoris. ECCLESIA, non ſolus Romanus Pontifex, Apoſtolorum exemplo mota, Epiſcopalium functionum exercitium & uſum certis locis, quæ Diœceſes dicuntur, adfixit & adligavit, cùm in Synodo Nicæna I. Can. 6. ita decrevit: *Antiqua conſuetudo ſervetur per Ægyptum, Pentapolim, & Lybiam, ut Alexandrinus Epiſcopus horum habeat adminiſtrationem, quoniam & Romano Epiſcopo parilis mos eſt. Similiter apud Antiochiam.* Et in Synodo prima Conſtantinopolitana Can. 2. *Juxta Canones Alexandrinus Antiſtes quæ ſunt in Ægypto*

Ægypto regat ſolummodo : & Orientis Epiſcopi Orientem tantùm gubernent &c. En ergo Eccleſiæ auctoritate determinatis Diœceſibus, quin & Provinciis ac Patriarchatibus, reſtrictum Epiſcopatum, cui in ſua inſtitutione, à Chriſto factâ, nulli fuerant deſignati limites; & qui in certas Diœceſes diviſus, ſuam nihilominus ſubſtantiam & naturam ſic integram & illibatam conſervat in ſingulis Epiſcopis, quemadmodum conſervaturus erat, ſi totum orbem pro Diœceſi ſinguli haberent, ùt olim Apoſtoli. Diſtinctionem inter jurisdictionem Petri *ordinariam*, reliquorum verò Apoſtolorum *extraordinariam*, frivolam eſſe & omni fundamento deſtitutam, obſervavimus præſentis Diſſertationis *Cap. II. n. 3.* Pariter diſtinctio inter Apoſtolatum & Epiſcopatum, licèt ab antiquis nonnunquàm adhibita, nihil hìc facit ad rem. Nam patrare miracula, fugare dæmones, Canonicos Libros ſcribere, teſtes eſſe tot divinarum rerum: eæ non *jurisdictiones* fuere, ſed *gratiæ*. Hìc autem non quæritur, quibus donis ornati à Chriſto fuerint Apoſtoli, quando eis Chriſtus Marci III. ℣. 15. *dedit poteſtatem curandi infirmitates & ejiciendi dæmonia*: Sed quali & quantâ auctoritate ad regendam Eccleſiam eos munierit, quando eis dixit Matth. XVIII. *Quæcunque alligaveritis ſuper terram &c.* Et Matth. XXVIII. *Ite in mundum univerſum, prædicate, baptizate, docete.* Et Joannis XX. *Ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata &c.* Ex ipſa autem verborum amplitudine & generalitate veteres Patres univerſè intellexerunt, talem ac tantam eis auctoritatem fuiſſe, ut nihil ei deeſſet, nihil ſub illa non comprehenderetur. Hanc auctoritatem ſi quis putat Apoſtolis à Chriſto datam, ut cum Apoſtolis interiret; quid aliud reſtat, niſi ut cum Apoſtolis extinctum Epiſcopatum ipſum credamus, in uno Petri ſucceſſore revicturum; quo nihil abſurdius, nihil antiquitati magis contrarium.

IV. Atque his inſuper ſatisfactum iis, quæ Ennodius Faventinus *pag.* 48. *& ſeqq.* ingerit. Diſtinctio, quam ille proponit de differentia *Ordinis* & *Jurisdictionis* in Epiſcopali poteſta-

teſtate, quarum illam ipſe *eſſentialem* & *intrinſecam* vocat, hanc *accidentalem* & *extrinſecam*, peræque hic inapplicabilis eſt. Ad poteſtatem Jurisdictionis Epiſcopalis Ennodius hoc loco refert jus Eccleſiam exteriùs regendi, leges ferendi, cauſas judicandi. Quis ſapiens negabit hanc poteſtatem pro ſua Diœceſi cui demum cunque Epiſcoporum, & quidem tanquam ordini & charactéri ſuo ex divina inſtitutione propriam? Ait quidem Ennodius *p.* 49. utramque prædictam poteſtatem ad Eccleſiam optimè adminiſtrandam neceſſariam eſſe, addit autem, Chriſtum *utramque individuo nexu conjunctam cum ſingulis Epiſcopis communicari noluiſſe. Alioquin*, ait, *earum alterâ, nempe poteſtate jurisdictionis, Epiſcoporum nemo privari poſſet.* Qui ſic ratiocinantur, Evangelium non ex ipſo Evangelio antiquorúmque Patrum traditione, ſed ex recentiorum Pontificum ſcriptis & geſtis interpretantur. Vident nimirum hi Theologi, Romanos Pontifices à ſæculo XI. omnia ad ſe trahere cœpiſſe: Vident, à multis ſæculis non alios Epiſcopos Eccleſiis dari, quàm quos Romani Pontifices deſignent aut ſaltem confirment: Vident, ubique locorum iis privilegiis à Romanis Pontificibus donari Religioſos Ordines, quibus Ordines ipſi à jurisdictione ordinariorum Paſtorum eximantur: Vident, criminum quorundam atrociorum abſolutionem ſibi reſervâſſe Romanos Pontifices: Vident, pro minutiſſimis quibusque rebus ſollicitari Romanos Pontifices ab ipſis Epiſcopis: Vident denique, Eccleſiaſtica omnia ab unius Romani Epiſcopi nutu & arbitrio nunc pendere. Ex recenti hac nováque Diſciplinâ Evangelica teſtimonia interpretantes, alius alium ovium more ſequentes, docent eorum permulti, fundum illum omnem ſpiritualium poteſtatum, quo ex æquo & indiſcriminatim locupletatos à Chriſto omnes Apoſtolos diſertè docet Evangelium, diſertè clamant antiqui Patres, extinctis Apoſtolis in ſolo Petri ſucceſſore conſervari, tanquam in theſauro ſeu fonte, unde in Apoſtolorum ſucceſſores ad unius libitum & arbitrium diſtribuatur.

V.

V. Reſtat, ut, ſi quæ ſuperſunt particularia Zaccariæ his contraria argumenta, ea ponderemus. Primùm ait ille ſui Antifebronii vindicati *Tomo I. pag.* 466. Florentinum Concilium definiit, *Romano Pontifici in B. Petro paſcendi, regendi & gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.* „ Quòd ſi unus (ſic „ ille ſubſumit) Romanus Pontifex fuit à Chriſto *plenâ* hac „ poteſtate donatus, quid demum reſtat, niſi ut Epiſcopi in „ partem tantummodo poteſtatis & ſollicitudinis vocati ſint? „

Ad hoc Decretum Concilii Florentini à nobis jam reſponſum eſt ſuprà *Differt. II. Cap.* 2. *n.* 7. & alibi. Porro eo haud obſtante in eadem Synodo dicere non dubitavit Beſſarion Metropolita Nicænus, & poſtea Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, quod Seſſione IX. legimus: *Scimus quidem, quæ ſint jura & prærogativæ Romanæ Eccleſiæ: nihilominus ſcimus etiam, prærogativæ ejus quos terminos habeant. Quoniam quantacunque facultate polleat Romana Eccleſia, minùs tamen Synodo Oecumenica, & univerſali Eccleſia* Hæc ſatis conveniunt alteri ejusdem Synodi Decreto, quo jura & actiones Primatis regulantur conformiter ad ea, *quæ in actis Conciliorum Oecumenicorum & in ſacris Canonibus continentur.* At ſi Papa ſuas actiones ad normam Canonum dirigat, non invadet jura ullius Epiſcopi, ſuo Paſtorali muneri in ſua diœceſi per ſe ipſum ſatisfacientis, ſed unicè intendet gubernationi *univerſi*, quæ ipſi *plenè*, imò *privativè* data eſt. Inde minimè ſequitur, quod prætendit Adverſarius, Epiſcopos *in partem* ſolummodo *ſollicitudinis* vocatos eſſe; ſunt etenim in ſuis reſpectivè diœceſibus *primariâ* & *plenâ abſolutâque* ſollicitudine onerati. Dico in ſuis *Diœceſibus*; etenim, quantum ad regimen *Univerſi*, dici percommodè poſſunt in partem ſollicitudinis Papalis vocati eſſe.

Hæc inſuper ſerviunt explicandis & intelligendis iis, quæ in Baſileenſi Synodo Patres reſponderunt Tarentino Archiepiſcopo, Eugenii IV. ad eos Oratori; de quibus Zaccaria *pag.* 467.

Digitized by Google

VI. Juxta *Febronium* & *Pereriam*, inquit ille *pag.* 474. poteſtas Clavium *univerſitati Eccleſiæ* tranſcripta eſt, ut eam per ſuos Miniſtros, pro cujusque portione, exerceat; ergo etiam illa ſuis Miniſtris pro exercitio Clavium modum & fines præſcribere valet. Rectè omnino, uti diximus *Num.* 3. Pergit autem Jeſuita *pag.* 477. „ Si Synodis licet modum pone„ re Epiſcoporum poteſtati, non ergo hæc *origine* ac *inſti*„ *tutione ſuâ* quoad ſuarum Eccleſiarum gubernationem abſo„ luta, illimitata, ac incircumſcripta eſt - - - - - Ratio veri & „ proprii Synodorum juris alia non eſt, niſi quia eadem „ Concilia, licèt particularia, non autem œcumenica fuerint, „ cùm tamen ejusdem provinciæ vel regionis Antiſtitibus juris„ dictione præſtarent, poterant ipſis eum Epiſcopalium facul„ tatum uſum præſcribere vel mutare, qui utilior eſſet, & in „ ædificationem Eccleſiæ conferret. Hoc jus ſi tribuitur Con„ ciliis particularibus, quæ ſolo jure Eccleſiaſtico toti provin„ ciæ vel regioni, ejúsque Epiſcopis jure divino in origine „ inſtitutis præſident; quantò magis concedendum ſucceſſori„ bus S. Petri, qui omnibus Epiſcopis, ipſisque particulari„ bus Synodis præſunt jure divino? „

Nos dicimus, non modò *Epiſcopatum*, ſed & *Papatum*, licèt uterque Chriſtum pariter habeat auctorem, Canonibus ac Decretis Conciliorum Generalium coërceri poſſe. Hoc definivit Oecumenica Synodus Conſtantienſis; hoc ſolemni declaratione ſuâ ratum fixúmque habuit totus Clerus Gallicanus anno 1682.; hoc in hunc usque diem docent omnes Canoniſtæ & Theologi Galliæ.

Si jam P. Zaccaria quærat, quî fieri poſſit, ut poteſtas, quam Chriſtus inſtituit abſolutam & illimitatam, reſtringi nihilominus & coarctari ad certa loca, certósque caſus valeat: reſpondebunt omnes, id ideo eſſe, quia Chriſtus *Eccleſiæ ſuæ* eam auctoritatem conceſſit, ut poſſet ipſa *uſum atque exercitium* poteſtatis divinitùs inſtitutæ, divinitúsque Apoſtolis & ſucceſſoribus collatæ, certis regulis moderari, certísque limitibus coërcere, ſalvâ interim naturâ & ſubſtantiâ ipſius poteſtatis. Cùm

Cùm Jacobus Vernantius libro Metis anno 1658. excuſſo docuiſſet, *Papam ſoli Deo ſubjici, nec niſi divinâ poteſtate Papalem poſſe reſtringi poteſtatem, eique nullis legibus modum poni:* Facultas Theologica Pariſienſis anno 1664. ſic cenſuit: *Hæc propoſitio intellecta de uſu & exercitio poteſtatis Papalis falſa eſt, Eccleſiæ & Conciliorum auctoritati derogans.* Qua cenſurâ deſcriptâ hæc addit Ill. Boſſuetus *Lib. X. Cap.* 27. „ Diligentiſſimè omnino, atque ex Majorum non modò Decretis, ſed „ etiam verbis, Papalem poteſtatem utpote divinitùs inſtitutam „ Deo ſoli quoad ſe, quoad uſum & exercitium Sacris Canonibus Conciliiſque ſubjiciunt. „ En ergo, magno Boſſueto judice, præeuntéque totâ Pariſienſi Facultate, certis regulis ſive Canonibus reſtringi ab Eccleſia poteſt ipſa plenitudo Papalis poteſtatis, cui nullos limites præſcripſit Chriſtus, cùm Petro dixit, *Paſce oves meas.* Ita, & rectè omnino Antonius Pereria, inſignis Theologus Oliſiponenſis, in defenſione Tentaminis Theologici de Auctoritate Epiſcoporum tempore ſciſſuræ an. 1770. editâ *pag.* 234. *& ſeq.*

Redeamus nunc ad Zaccarianam objectionem: Ratio veri & proprii juris Synodorum, etiam particularium, eſt, quòd illud habeant nec *à ſe*, nec *à Rom. Pontifice*, ſed *ab Eccleſia*; hæc, uti jam vidimus, modum ponere poteſt *uſui & exercitio* omnis Eccleſiaſticæ poteſtatis, ne Papali quidem exceptâ, *ſalvâ ejus ſubſtantiâ.* Hæc omnia prono alveo fluunt ex ſano Eccleſiæ Gallicanæ principio de Clavibus non uni Petrò ſed toti Eccleſiæ à Chriſto traditis. Si ergo hæc ex Gallorum ſententia non officiunt *plenæ* poteſtati juxta Florentinum (quod ille à Gallis pro univerſali haberi aſſerit) ſummo Pontifici in perſona S. Petri traditæ; neque officient *abſolutæ* & *plenæ* poteſtati Epiſcoporum in ſuis diœceſibus, maximè ſi hanc *in ſua origine* ſpectemus, & prout à Chriſto exiit.

VII. Dixi ſuprà *Num.* 1. & 2. quolibet Epiſcopo ſuo officio debitè fungente, Papam in ejus Diœceſi nullum actum *Epiſcopalis* juriſdictionis ſive per ſe, ſive per alium exercere poſſe. Poterit tamen ejus ſupplere defectum *exigente neceſſitate*,

ſitate, idque tum virtute unius individui & univerſalis Epiſcopatûs, cujus ipſe primas partes tenet, tum etiam vi ipſiuſmet Primatûs, quem in tota gerit Eccleſia, cujus ſollicitudo ſe ad omnia extendit; non tamen ad alium in ſuo munere impediendum aut turbandum, ſuumve illi jus præcipiendum. Illud reſpectu ſingularum Diœceſium *ad regulam* pertinet, hoc *ad exceptionem*. Hoc poſteriore intuitu unus ex Defenſoribus Febronii ſcripſerat, *temporum infelicitates ſubinde à maximorum Pontificum zelo extorſiſſe, ut extra ordinem ingruentibus undique malis quoquo modo, etiam extra regulam ſuccurrerent; ſed hæc ad conſequentiam trahi non poſſe.* At hic ſubitò intercedit Zaccaria *Tomo II. pag.* 79. exclamans: „ Præclarum „ enimverò Zelum! qui Epiſcoporum jura invaderet, qui „ inſtitutam à Chriſto regiminis formam perturbaret, qui „ Romanæ Sedis ſuprà aliarum ruinas magnitudinem evehe- „ ret! Hæc *extra regulam* Febronius appellat, hæc *zelo* tri- „ buit. Vide, quomodo Sacrorum Canonum ſpiritum perno- „ ſcat, qui non diſpenſationes Canonum, ſed divinæ legis, ſa- „ crorumque omnium jurium violationes tantâ facilitate excuſat.„

Miſeret me hominis ità differentis, non ad *regulam* reflectentis, nec ad *exceptionem*. Reſpondebo ei paucis, verbis doctiſſimi Thomaſſini: *Metropolitanorum*, & Epiſcoporum, *authoritati tuendæ invigilâſſe Pontifices, nec eorum vices ſupplêſſe, aut implêſſe, niſi inevitabili neceſſitate urgente; eo proſpectum à me eſt Pontificum majeſtati, æquitati, ſanctitati; qui ſubditorum ſibi Præſulum jura tueantur, non invadant unquam; munia tunc demum ſuppleant, cùm charitas urget, cùm neceſſitas cogit &c.* Dignus eſt Thomaſſini locus qui legatur integer; proſtat *Tomo I. Febr. Cap. III.* §. 2. *n.* 4.

DIS-

DISSERTATIO IV.
DE ROMANO PONTIFICIS PRIMATU.

CAPUT I.

De natura Primatûs ejúsque adfectionibus ex ſententia S. Bernardi.

I.

Quæ præcedentis Diſſertationis Capite finali dicta ſunt, ea nobis viam ſternunt ad noſcendam univerſalis Primatûs indolem, quæ propriè eſt invigilare, ut ſuum in Eccleſia munus quisque perfectè impleat, ipſe verò Primas neminem in exercitio ſui miniſterii impediat aut turbet; ita ut Caput inter & membra perfecta regnet harmonia.

Primatum deſcribens S. Bernardus Lib. II. de Conſid. Cap. 6. ait: *Nec locus eſt otio, ubi ſedula urget* SOLLICITUDO OMNIUM ECCLESIARUM. *Nam quid tibi aliud dimiſit Sanctus Apoſtolus? Non ille tibi dare, quod non habuit, potuit. Quod habuit, hoc dedit,* SOLLICITUDINEM, *ùt dixi*, SUPER ECCLESIAS. Agit hìc apertè Bernardus de officio Papæ, hoc eſt, de eo, in quo Romanus Pontifex Petro ſuccedit; id definit Sanctus Pater *nihil* eſſe aliud, quàm *ſollicitudinem ſuper omnes Eccleſias.* Ejusdem Libri Capite octavo

hanc

Digitized by Google

hanc conſiderationem iterum reſumens Mellifluus Doctor, ſeu ùt ille ait, *altiùs indagans, quam perſonam in Eccleſia Dei* Papa Eugenius *gereret*; Romani Pontificis ab aliis Epiſcopis differentiam & præ cæteris excellentiam, atque adeo Primatum ipſum, diſertè ponit in ſollicitudine & cura omnium Chriſtianorum. Etenim ſic ſcribit: *Sunt quidem & alii cæli janitores, & gregum Paſtores: ſed tu tantò glorioſius, quantò & differentius utrumque præ cæteris nomen hæreditaſti. Cui enim, non dico Epiſcoporum, ſed & Apoſtolorum, ſic abſolutè & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oves?* SI PETRE AMAS ME, PASCE OVES MEAS. *Quas? illius vel iſtius Civitatis, aut regionis, aut regni?* OVES MEAS, *inquit. Cui non planum, non deſignaſſe* ALIQUAS, *ſed deſignaſſe* OMNES? *Nihil excipitur, ubi diſtinguitur nihil.* Et mox: *Stat ergo inconcuſſum* PRIVILEGIUM TUUM *tibi tam in datis Clavibus, quàm in Ovibus commendatis.* Hìc nomine *privilegii* ipſum Petri Primatum, ejúſque prærogativam præ aliis Epiſcopis à Bernardo deſignari, nemo in Eccleſiaſticis monumentis verſatus non videt. At privilegium illud ſeu hujusmodi prærogativam hoc quoque in loco S. Bernardus collocat in univerſali curâ Petro & ſucceſſoribus ſpecialiter demandatâ.

II. Itaque officium atque eſſentia Primatûs in eo ponenda eſt, quòd Papa habeat *ſollicitudinem omnium Eccleſiarum.* Hanc ſollicitudinem nos interpretamur SUPREMAM INSPECTIONEM GENERALEMQUE SUPERINTENDENTIAM, VI CUJUS AD PAPAM SPECTAT TOTI ECCLESIÆ INVIGILARE. Singuli Epiſcopi capita ſunt & centra unitatis in ſuis Diœceſibus; Singulis incumbit Eccleſiarum ſuarum ſollicitudo, inſpectio, ſuperintendentia; ſed non propterea ſingulis Epiſcopis tribuitur, quod Epiſcoporum Principi eſt proprium.

Firmum apud omnes Theologos eſt, verbis illis *Paſce oves meas* propriè tandem declaratum eſſe Petrum à Chriſto ſupremum & univerſalem Paſtorem omnium Chriſtianorum, atque adeo ſupra ipſos Apoſtolos Principem ac Caput conſtitutum.

Digitized by Google

tutum. In communem hanc omnibus nationibus ſententiam ſufficiat producere ex Gallis Almainum in Tractatu de Auctoritate Eccleſiæ & Concilii Generalis Cap. 6. Tom. II. Gerſon. pag. 987. ubi ita: *A Chriſto dictum eſt Petro*, Paſce oves meas, Paſce agnos meos *Joan. ultimo. Et in hoc conveniunt ſatis ſinguli Doctores, dicentes: Chriſtum tunc eum feciſſe ſuum Generalem Vicarium.* Ex Hiſpanis Sotum, qui in IV. Sentent. Diſt. XX. Q. 1. art. 2. concl. 4. ſic ait: *Id quod ait Turrecremata, Petrum Joan. ult. pleniſſimam poteſtatem in utroque foro recepiſſe, veriſſimum eſt.* Denique ex Italis Bellarminum, qui Lib. I. de Rom. Pontifice Cap. 12. hæc ſcribit: *Claves regni ùt principalis & ordinarius Præfectus tunc ſolùm accepit, cùm audivit*, Paſce oves meas. *Tunc enim etiam Apoſtolorum fratrum ſuorum cura ei commiſſa eſt.* Ipſe quinimo P. Zaccaria Tom. I. pag. 327. agnoſcit & ſuſtinet per verba Joannis XXI. *Paſce oves meas* demum Petro Primatum fuiſſe collatum.

III. Quòd hæc vèrba Chriſti, *Paſce oves meas*, ad alios quoque Apoſtolos & gregum Paſtores pertineant, docemur ab Auguſtino, Ambroſio, Chryſoſtomo & Baſilio, quorum ſententias retulit Febronius *Cap. I. §. 3. n. 1.* Sed non propterea concludi poteſt, tot in Eccleſia eſſe poſſe ſupremos Paſtores, quot ſunt Apoſtoli ſeu Epiſcopi. At ſi à contrario ex iisdem verbis, *Paſce oves meas*, ampliorem quis materiam ampliorémque finem Primatui aſſignare prætendat, quàm ſupremam illam Inſpectionem & generalem Superintendentiam, in qua Primatûs rationem ſitam eſſe diximus, verbis quidem ille ludit, non rebus pugnat. Quid enim in eo, qui in altiore ſpecula reliquos luſtraturus ſedet, paſcere oves Chriſti aliud eſt, niſi providere & invigilare, *ut unusquisque munia & miniſteria gradûs ſui perfectè obeat? ut Eccleſiæ corpus illam diſpoſitionem harmoniámque conſervet, qua ipſum donârunt Chriſtus & Apoſtoli.* In his verſari diximus ſupremam illam Inſpectionem generalémque Superintendentiam. Neque enim ampliorem ſibi finem proponere debet ſupremus Eccleſiæ Paſtor.

Planum ergo eſt, ſupremam illam Inſpectionem & Superintendentiam, in qua S. Bernardus eſſentiam Primatûs collocat, nihil aliud eſſe, quàm inter Antiſtites omnes ſic Romanum Pontificem eminere, ùt Caput primúmque Præſidem Epiſcoporum: ad quem proinde ex Primatûs officio ſpectet toti Eccleſiæ invigilare, eo fine, ut munia ac miniſteria gradûs ſui perfectè obeat unusquisque. Hæc Primatûs] notio plurimùm confirmatur, ubi animum adverterimus, quo fine illum Chriſtus inſtituerit. Conſentiunt univerſi Patres, finem alium non fuiſſe, quàm *ut vitatis diviſionibus unitas ſervaretur.* S. Cyprianus in *Libro de unitate Eccleſiæ &c.* S. Hieronymus *Lib. I. contra Jovinianum &c.* S. Auguſtinus *Tract. LXVIII. in Joannem &c.* Ex ſententia eorundem antiquorum Patrum ad Petrum ſingulariter orationem ſuam Chriſtus propterea convertit, cùm ei dixit, *Paſce oves meas*, non quòd unum illum conſtitutum vellet Paſtorem; ſed ut omnes intelligeremus, tot Greges & Paſtores, quot componunt Eccleſiam, ſic Petro tanquam Capiti & Centro Catholicæ unitatis ſubdi & cohærere debere, ut tam multæ Diœceſes, tam multi Epiſcopi, una illa eſſe Eccleſia monſtraretur. At qui Petro dixit, *Tu es Petrus &c.* & *Paſce oves meas &c.* idem cæteris Apoſtolis dixit: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: Euntes ergo docete &c.* Sicut ergo ex prioribus locis colligitur, ſucceſſorem Petri eſſe jure divino Primatem Eccleſiæ, haberéque immediatè à Chriſto præfecturam & adminiſtrationem ſuper Eccleſiam univerſam: ita ex locis aliis confici debet, ſucceſſores Apoſtolorum jure divino eſſe Paſtores & Rectores cujusque Eccleſiæ particularis.

IV. Objiciunt nobis hic iterum Ballerinius *pag. 58. ſeqq.* & alii celebre illud Decretum Synodi Florentinæ de Primatu ſummi Pontificis. Nos illud non illubenter amplectimur. Poſtquam enim definiſſet, *Romanum Pontificem in toto orbe habere Primatum*; mox Synodus quaſi definitura, in quo Primatus ille ſitus eſſet, ſubjungit: *ipſique in B. Petro plenam poteſtatem traditam eſſe paſcendi, regendi & gubernandi univerſalem Eccleſiam*

ſiam juxta eum modum, qui & in geſtis Conciliorum Oecumenicorum, & in Sacris Canonibus continetur. Quod quid aliud eſt, quàm ſupremum in tota Eccleſia Inſpectorem, generalémque Superintendentem declarare Romanum Pontificem? idque eo fine, *ut Eccleſiæ Corpus eam diſpoſitionem harmoniámque conſervet, qua ipſum donârunt Chriſtus & Apoſtoli; ut cuilibet ſua jura ſerventur illæſa; ut liberum ſit cuilibet membro functiones Hierarchiæ ſuæ proprias exercere.* Hoc enim eſt, quod *& in geſtis Conciliorum Oecumenicorum, & in ſacris Canonibus continetur.*

Nihil hæc doctrina commune habet cum doctrina *Marci Antonii de Dominis*, quam ſuperiore ſæculo meritò confixit ſacra Facultas Pariſienſis. Docuit ille, quòd in Eccleſia unum ſit Caput viſibile, omnibus auctoritate & regimine ſupereminens, id merum hominum inventum eſſe, cujus nullum fundamentum invenitur in Scripturis, vel Traditione veterum Patrum. Dogma econtra Catholicum eſt, Antiſtiti ei, cujus Epiſcopatui ſit Primatus annexus, tanquam Capiti ſuo fideles jure divino debere reverentiam & obedientiam.

V. Sed revertamur ad divum Bernardum, cujus veſtigia, uti in multis aliis, ita & in notione Primatûs, nos ſequi profitemur. Opponit nobis hunc ſanctum Doctorem Zaccaria Antifebronii vindicati *Tomo II. pag.* 29. & 36. Imprimis ex ejus Epiſtola 131. ubi, *Plenitudo*, ait, *poteſtatis ſuper univerſas orbis Eccleſias ſingulari prærogativâ Apoſtolicæ Sedi donata eſt. Qui igitur huic poteſtati reſiſtit*, DEI ORDINATIONI *reſiſtit.* Deinde ex Libro II. de Conſid. Cap. 8. *Quiſque cæterorum* (Epiſcoporum) *habet ſuam, tibi una commiſſa eſt grandiſſima navis, facta ex* OMNIBUS, *ipſa* UNIVERSALIS ECCLESIA *toto orbe diffuſa.* Ego quidem in his video eandem quam ſuprà ſollicitudinem ſuper omnes Eccleſias, video eandem ex Dei ordinatione; conſequenter video univerſalem divinæ inſtitutionis Primatum; video unum ex Epiſcopis cæteris prælatum, qui provideat & invigilet, ut unusquiſque miniſteria ſui ordinis debitè exequatur, ſed non talem,

Digitized by Google

qui horum munia præripiat, & harmoniam, quam Chriſtus & Apoſtoli inſtituerunt, quámque Canones Spiritu Dei conditi declarant, turbet & infirmet. *Quiſque cæterorum habet* SUAM *Eccleſiam*, inquit Sanctus; ergo & cuique Eccleſiæ, cuique Eiſcopo *ſua* relinquantur jura; hæc, uti pro ſuo officio tenetur, ſervet & tueatur Caput Epiſcoporum.

Non aliò quàm ad ſic explicatum Primatum ſpectant illa Bernardi verba ex citato Capite octavo, quæ Zaccaria proferre quoque non omittit, dicens, Febronium audere illa citare; ea hæc ſunt: „ Sunt quidem & alii cœli janitores, & gre- „ gum Paſtores; ſed tu tantò glorioſius, quantò & differen- „ tius utrumque præ cæteris nomen hæreditaſti: Habent illi „ ſibi aſſignatos greges, tibi univerſi crediti, uni unus. Non „ modo ovium, ſed & Paſtorum tu unus es Paſtor. Huic „ loco S. Bernardi ſequentem Jeſuita adſuit, quem inſuper ſuo acumine illuſtrat, hoc tenore: „ Aliorum poteſtas certis „ arctatur limitibus, tua extenditur & in ipſos, qui poteſta- „ tem ſuper alios adceperunt. Nonne, ſi cauſa extiterit, tu „ Epiſcopo cœlum claudere, & ipſum ab Epiſcopatu depo- „ nere (*quod poſſe Pontificem Febronius pernegat*) etiam & „ tradere Satanæ potes? *Quonam ergo mens Febronii avolavit,* „ *quum Bernardum nobis opponere non extimuit?* „ Quàm acutè!

Avolavit mens Febronii ad Canones Antiochenos, Sardicenſes, Africanos, ad quoscunque alios genuinos à Febronio abundè explicatos *Tom. I. Cap. IV.* §. 8. *Tom. II. pag.* 56. 268. 310. *Tom. III. pag.* 65. *ſeqq. p.* 299. *&c.* Quòd Primatus ſummi Pontificis *univerſalis* ſit, proinde quoad locorum ſpatia nullis arctetur limitibus, omnibus Catholicis certum eſt; æque verum eſt, quòd ejus ſollicitudo ad omnes Eccleſias, ad Paſtores perinde atque ad oves ſe ſe extendat; item quòd ille eos, qui Eccleſiæ rebelles ſunt, excommunicare, id eſt, Satanæ tradere valeat, etenim absque hac poteſtate (quemadmodum paulò pòſt videbimus) unitatem Eccleſiæ efficaciter, prout ex officii ſui naturâ & debito obligatur, tueri non poſ-

ſet.

ſet. An (quod poſtremum in hac Sancti Patris Conſideratione eſt) ad Primatûs geſtionem quoque deſideretur, ut ille, qui in ſuprema Specula ſedet, Epiſcopos etiam *per ſe* ſuis ſedibus dejicere valeat, hoc Canones ſinceri, *cit. Cap. IV.* §. 8. relati, negant, poſteriores apocryphi ibidem quoque indicati affirmant. Hi poſteriores ævo S. Bernardi adeo vigebant, ut idem Sanctus non fuerit veritus *Epiſt.* 239. ſcribere, Epiſcopos à *ſolo* Rom. Pontifice poſſe deponi. Verùm hoc vitium ſæculi fuit, non officiens genuinæ & generali ideæ, quam cæterà Mellifluus Doctor habuit dedítque de Primatu. Tam parum, inquam, hoc juſtæ ideæ Primatûs aut detrahit aut addit, quàm quod idem Vir Sanctus, vitio ſeu ignorantiâ ſui ævi deluſus, *Epiſt.* 237. *n.* 2. memorat, Papam de regnis & imperiis diſponere.

CAPUT II.

Contrariis Patris Zaccariæ argumentis & figmentis reſpondetur. Univerſalis Romani Pontificis Epiſcopatus expenditur.

I.

Sequamur preſſo pede Zaccariam. „Hoc igitur, inquit ille *pag.* „ 20. *Tom. II.* demum inquirendum, num ſine cogente juris- „ dictione Unitas formari (id enim addendum) & ſervari „ poſſit. Tum *pag.* 21. Catholici jurisdictionis nomine *non* „ *niſi vim coactivam* intelligunt. Demum *pag.* 22. Si, quod „ à D. Nicole ſcriptum reperio, *juris eſt divini, & ex inſti-* „ *tutione Chriſti, ut Pontifex Romanus omni poteſtate & præ-* „ *rogativis ad unitatem* EFFICACITER *conſervandam neceſ-* „ *ſariis præditus ſit*, vis coactiva, atque adeo vera propriá- „ que jurisdictio denegari illi nullatenus poterit. „ Addit etiam

etiam *pag.* 35. ex Ballerinio de Poteſt. Eccleſ. Cap. IV. n. 10. „ Quum Primatus non meri honoris & ordinis, ſed „ peculiaris juriſdictionis inſtitutus fuerit à Chriſto in bonum „ unitatis Eccleſiæ, ut Capite conſtituto ſciſſurarum & ſchis- „ matis tollatur occaſio; *vim* profectò *coactivam in omnes* „ *Collectivè* debet habere, ſine qua latus ſchismatibus & ſciſſu- „ ris aditus pateret, unitatisque bonum obtineri non poſſet. „ Hinc qua ratione ea vis *in ſingulos* ab adverſariis concedi- „ tur, causâ Primatûs, eâdem *in omnes collectivè* concedenda „ eſt, quum univerſæ Eccleſiæ unitas non ex ſingulis tantùm, „ ſed ex omnibus collectivè ſumptis & in unum coactis „ redeat. „

Aërem ille verberat omnibus his diſcurſibus. Cùm *juriſdictionis* nomen identidem inclament adverſarii, videndum ante omnia, *quid ſit juriſdictio.* Cùm hujus nomen & qualitas à Jure Civili deſcendat, inde quoque ejus indoles deſumenda eſt. Definitur autem illa in Legibus Civilibus *Publica, de cauſis tum Criminalibus, tum Civilibus, juris dicendi, & judicatum exequendi poteſtas. Leg.* 3. *Cod. Leg.* 2. *ff. de Juriſdictione. Leg.* 5. *princ. ff. de Re judic. Leg.* 99. *pr. de Verb. Signif. Leg. ult.* §. 1. *ff. de Off. ejus cui mand. eſt juriſd. Leg. un. ff. Si quis jus dic. non obt.* Conciliis Provincialibus, non verò Romano Pontifici, ſive in communibus, ſive in gravioribus cauſis, ſcilicet depoſitionibus Epiſcoporum (quas hic criminales poſſumus appellare) juris dicendi & judicatum exequendi ſupremam, imò omnem poteſtatem competere, evincitur illis Canonibus & ſacræ Diſciplinæ monumentis, quæ eis locis, quæ ſuperiore Capite num. 5. indicata ſunt, Febronius memorat. Sed ne hodie quidem, poſtquam per Decretales Iſidori appellationes ad ſummi Pontificis Curiam introductæ ſunt, ei in prima inſtantia judicare Concilium Tridentinum *Seſſ. XXIV. Cap.* 20. *de Ref.* permittit. Equidem ibidem Sacra Synodus addit: *Excipiuntur cauſæ, quas ex urgenti, rationabilique cauſa judicaverit Summus Pontifex per ſpeciale reſcriptum Signaturæ Sanctitatis ſuæ, manu propria ſubſcribendum,*

Digitized by Google

dum, committere aut avocare: Verùm imprimis talis commiſſio aut avocatio in præjudicium primæ & aliarum inſtantiarum in Gallia, fortè etiam alibi, non admitteretur (vide præcedentem *Diſſert. III. Cap. 5. n. 2.*); deinde ea non tam foret effectus ordinariæ *Juriſdictionis*, quàm extraordinariæ *Authoritatis*, Sanctiſſimo pro caſu inopino & gravi ab Eccleſia commiſſæ. Ex his & ſimilibus colligitur, quàm circumſpectè Tridentinum, de poteſtate Papæ loquens, eam *Authoritatem* vocaverit, non *Juriſdictionem.*

II. Quibus mediis Pontifex vi authoritatis ſibi creditæ unitatem ex ſuo Primatis officio tueri debeat, jam dictum eſt *Tom. I. Febr. Cap. II.* §. 4. *n.* 2. & diſtinctiùs *Tom. III. pag.* 33. ſcilicet *erudiendo ignaros*, & *contumaces ligando.* In hac contumaces ligandi, id eſt, excommunicandi poteſtate conſiſtit illa *vis coactiva*, de quâ, tanquam ad exercitium Primatûs neceſſariâ, & ad *unitatem efficaciter conſervandam* requiſitâ adverſarius loquitur. Attamen in ligandis contumacibus Papa minimè egredi debet regulas eum in finem ab Eccleſiâ præſcriptas, aliàs diſpergit potiùs quàm reunit, utì pluribus demonſtratum & explicatum eſt *Tomo I. Cap. VI.* §. 9. *n.* 4. *Cap. IX.* §. 7. *Tom. II. pag.* 330. 354. *ſeqq.* 575. 611. *Tom. III. pag.* 184. *ſeqq.* 203. 216.

Dedit Febronius *Tom. I. Cap. II.* §. 4. pro norma & principio Primatus: *Omnia illa & ſola eſſe primigenia & eſſentialia jura Primatûs, ſine quibus Unitas non poteſt ſervari.* Admittit hanc regulam Zaccaria *cit. Tom. II. pag.* 20. addens, inſanum fore, qui eam negaverit. Itaque in illud demum impartiali ſtudio inquirendum, quænam ſint illa, ſine quibus Unitas, ſeu ùt ait ille, *ratio Centri* ſervari non poteſt. Videmus eum inter cætera, tanquam ſequelam regulæ, illò referentem *jus coactivum in omnes fideles* COLLECTIVE *ſumtos*, hoc eſt, in & ſupra Eccleſiam Univerſalem. Cùm plurimi hanc ei, inter plures alias, conſequentiam negaturi ſint, hinc quivis facilè agnoſcet, regulam, cæteroquin ſanctam & fir-

firmam, in manibus hominum ſic præoccupatorum, lubricam & nullius uſûs evadere.

Itaque quia in applicatione hujus regulæ affectibus facilè indulgetur, Febronio viſum eſt *cit. Cap. II.* §. 4. *&* *alibi*, alteram ei ſociare, hanc nempe: *Quod per omnes ætates & ubique ad jura Primatûs pertinere agnitum eſt &c.* & viciſſim. Sed & hoc principium Zaccaria *cit. pag.* 20. amplectitur. Qua igitur exſpectatione impartialium ſuffragiorum ille tuebitur eam, quam prætendit eâdem regulâ fulciri, Papæ præ Eccleſia univerſali ſuperioritatem, ſi ſolùm reflectat (ut alia prætermittam) ad tempora Conſtantienſis Concilii, ad Declarationem Eccleſiæ Gallicanæ anni 1682. ad noviores Chriſtianiſſimi Regis conſtitutiones hanc doctrinam in ſuo regno prohibentes; ad mandatum auguſtiſſimæ Romanorum Imperatricis de anno 1769. contrariam ſententiam in Academiis vaſti ſui dominii doceri præcipientis; denique ad omnia & ſingula, quæ à nobis Diſſertatione II. à Capite 3. usque ad finem tradita ſunt.

„ Creditúmne *ubique* eſt (ſic proſequitur Zaccaria *pag.* 28.) „ Centrum eſſe omnium Eccleſiarum Romanum Pontificem? „ an non? Creditum id fatetur *Febronius*; debuerat ergo „ oſtendere, Centri, ad formandam ſervandámque *efficaciter* „ unitatem inſtituti, non eſſe naturam, ut *cogentem jurisdictionem* expoſcat. „ Prô quale ratiocinium! Adverſarii potiùs fuiſſet probare contrariam affirmativam. Sed liberavimus eum jamtum ab hoc onere, ipſimet confitentes, Pontificem, exhauſtis mollioribus mediis, etiam *coactivis* ad tuendam unionem uti poſſe, ſed 1.) iis quæ ab Eccleſia probantur, 2.) eo modo & forma, quæ ab Eccleſiæ Canonibus præſcribuntur.

III. Zaccaria immediatam eámque ordinariam poteſtatem in quosvis fideles ſtabilire præſumens ſic *pag.* 57. diſſerit: „ Hoc eſſet Febronio demonſtrandum, Romani Pontificis or- „ dinariam atque immediatam in omnes fideles poteſtatem „ eam eſſe, ut per ſe ſe, omni abuſu ſepoſito, Epiſcoporum „ juribus adverſaretur. Verùm hoc numquam evincet, niſi

antea

„ antea oſtenderit, Pontificiam authoritatem aliam omnino „ eſſe ab Epiſcopalis indole, ut hæc etſi ordinaria eſt & im- „ mediata in ſingulos ſingularum diœceſium fideles legitima „ ſit per ſe neque Parochorum juribus ſuapte naturâ, ſed „ ſolo, qui irrepere poſſit, abuſu contraria: Pontificia verò „ ex ipſa *ordinariæ* & *immediatæ* poteſtatis vi, quin aliud „ accedat injuſtitiæ vitium, cum inſito Epiſcoporum jure „ confligat. At id quonam pacto comprobare poterit?„

Paginâ præcedente ſcripſerat: „Concurrit, ut cum Febro- „ nio loquar, Epiſcopi & Parochorum poteſtas. Age, dic, „ an ab Epiſcopis propterea Parochorum jura lædantur? „ Negas? Atqui Epiſcopus tamen poteſt non modò vigila- „ re, ut Parochi ſuis ritè fungantur officiis, ſed eorum quo- „ que ſubditos ipſe per ſe gubernare, horum confeſſiones „ vel audire ipſe, vel aliis audiendas committere, Parocho- „ rum negligentiam ſupplere, omnia denique parochialia mu- „ nera peragere.„ Ergo idem etiam ſummus Pontifex in quorumlibet Epiſcoporum diœceſibus.

Quod hìc Jeſuita præprimis poſtulat, ut oſtendatur, Pontificiam poteſtatem indole, id eſt, naturâ ſuâ, aliam eſſe ab Epiſcopali, de eo, neſcio, an aliquis præter ipſum dubitet. Videtur mihi hoc abundè probatum præcedentis Diſſertationis Capite ultimo, & præſentis Capite primo. S. Auguſtinus Lib. I. contra duas Epiſt. Pelag. Cap. 1. Apoſtolicam Sedem communis Paſtoris *Speculam* vocat, id eſt, eminentem Cathedram, ex qua ordinariis Paſtoribus intenditur, non ipſorum officium, quando ipſi illud præſtare poſſunt & volunt, intercipitur. Certè, per Canones Nicænos, non magis licebat Romano Pontifici ordinationes aut alium quemvis actum in diœceſi Alexandrina vel Antiochena exercere, quam Alexandrino vel Antiocheno in diœceſi Romana vel in aliqua ex Eccleſiis Suburbicariis. Neque in primis decem Eccleſiæ ſæculis exemplum facilè reperietur aliquod, ubi immediatam jurisdictionem in alienis diœceſibus ſibi arrogare Romanum Pontificem paterentur alii Epiſcopi, niſi interveniente defectu vel

culpâ ipſorum Ordinariorum Epiſcoporum. In diœceſi E. G. Pariſienſi proprius & immediatus Paſtor jure divino ſolus eſt Pariſienſis Archiepiſcopus; nullos in illa diœceſi actus Hierarchicos exercere poteſt Romanus Pontifex invito Archiep. Pariſienſi; niſi ſi ipſe Archiepiſcopus negligens aut culpabilis in officio Paſtorali deprehendatur. Id Gerſon in Epilogo Libri *de Poteſtate Eccleſiaſtica*, *id Fleurius in Diſſert. de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ*, id ex ſententia recentiorum aliorum Gallorum obſervat Realius *Tom. VII. Cap. 2. Sect. 1.*

Comparationem illam Epiſcopi ad Parochum cum poteſtate Papæ reſpectu Epiſcopi, in qua adverſarius ſibi adeo complacet, meram illuſionem eſſe, jam monſtratum eſt *Diſſert. III. Cap. 3. n. 5.* Eccleſia Apoſtolorum exemplo mota Presbyterorum ordinem ſic Epiſcopatui ſubditum & obnoxium voluit, ut in Sacramentorum adminiſtratione ab Epiſcoporum nutu & arbitrio penitus dependerent Presbyteri. Sic enim legimus in antiquo Codice Canonum Cap. 40. *Presbyteri & Diaconi abſque ſententia & voluntate Epiſcopi nihil peragant.* Et apud Hieronymum in Dialogo adversùs Luciferianos: *Inde venit, ut ſine criſmate, & ſine Epiſcopi juſſione neque Presbyter neque Diaconus jus habeant baptizandi.*

IV. Quod non valuit Adverſarius ratione, hoc ſperat ſe evicturum auctoritatibus. Hunc in finem *pag. 50. & ſeqq.* item *pag. 63. & ſeqq.* citat nonnulla loca Patrum & Conciliorum. Et imprimìs quidem S. Irenæum *Lib. II. adversùs hæreſes Cap. 3.* Deinde S. Hieronymum *Epiſt. XIV. al. 55. ad Damaſum.* Verùm hæc loca, ad *immediatam* in ſingulas oves Rom. Pontificis *jurisdictionem* nihil pertinentia ab Auctore noſtro jam ſatis explicata ſunt; ille quidem *Tom. III. pag. 47. ſeqq.* item *pag. 153.* hic verò *Tom. I. Cap. III.* §. 8. *num. 2.*

Poſt hos Jeſuita S. Leonem M. inducit, Serm. III. in Anniverſario ſuæ aſſumpt. ubi: *de toto mundo unus Petrus eligitur, qui & univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctisque Eccleſiæ Patribus præponatur: ut quamvis*

in

in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores; omnes tamen propriè regat Petrus, quos propriè regit & Chriſtus. Ex his verbis ille ſic ſubſumit. „ Hoc maximè Chriſtum in-„ ter & Petrum intereſt, quòd quos ille principaliter regit, „ hic, quamvis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multi-„ que Paſtores, omnes propriè regat. Chriſti porro in om-„ nes principalis illa poteſtas ſanè eſt immediata, & Petri „ igitur immediata eſt. „ Qualis iſta argumentatio! Divinam ſuam quà principalis Paſtoris poteſtatem Chriſtus *per ſe* in omnes non exercet; ipſe Dominus omnium noſtrûm, quem Deus Pater poſuit Caput ſuper omnem Eccleſiam, in ea Rectores & Paſtores poſuit, qui illam regerent & paſcerent nomine ejus. Hi Eccleſias, hi ſingulos fideles, pro ſuâ cujusque ſtatione & portione, nec non acceptâ commiſſione, docent, abſolvunt &c. Inter omnes conſtituitur ſupremus Rector ac Primas; de hac Petri & ſucceſſorum ejus dignitate loquens S. Leo, præmiſſa ſua verba paulò pòſt ipſe ſic explicat: *Non fruſtra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ Rectoribus* FORMA *præponitur.* Sic ergo ex ſententia Leonis M. omnes Paſtores Petrus regit, tanquam omnium & ſingulorum *Forma*, non qui illorum officium præripiat, & commiſſas eis divinitus oves per ſe & immediatè dirigat; eò enim usque ſucceſſorum Petri, poſt diœceſium diviſionem, *privilegium*, id eſt, prærogativa non extenditur; etenim hoc minimè æquum foret. *Manet ergo Petri privilegium, ubicumque ex ipſius fertur æquitate judicium.* Sic immediatè poſt præmiſſa concludit S. Leo.

At „ ipſa id agnovere generalia Concilia. Romana *Ec-„ cleſia* (ita Lateranenſe Oecumenicum Concilium ſub Inno-„ centio III. Cap. V.) *diſponente Domino ſuper omnes alias* „ ORDINARIÆ POTESTATIS *obtinet principatum.* Quid „ dicemus? Poſſetne *ordinaria* hæc eſſe poteſtas, quin *imme-„ diata* eſſet? „ Ita Zaccaria *pag. 52.* Verùm lecto integro Synodalis Decreti contextu, ſecuriùs de ejus ſenſu & mente

 judi-

judicabitur. Ecce illud: *Antiqua Patriarchalium Sedium privilegia renovantes, ſacrâ univerſali Synodo approbante, ſancimus, ut poſt Romanam Eccleſiam, quæ diſponente Domino* SUPER OMNES ALIAS ORDINARIÆ POTESTATIS *obtinet Principatum, utpote Mater univerſorum Chriſti fidelium & Magiſtra; Conſtantinopolitana primum, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertium, Hieroſolymitana quartum locum obtineant,* SERVATA CUILIBET PROPRIA DIGNITATE. Verbum *ordinariæ poteſtatis* Jeſuita hic Romanæ Eccleſiæ appropriat; ſed perperam & contra mentem Synodi. Hujus vera mens, & genuinus Decreti ſenſus eſt, quòd Romana Eccleſia obtineat Principatum, id eſt, Primatum ſuper omnes alias Eccleſias, *Ordinariâ*, hoc eſt, *Epiſcopali poteſtate* gaudentes. Hoc Lateranenſis Synodi Decretum in Decretales Gregorii IX. *Lib. V. Tit. 33. de Privilegiis. Cap.* 23. relatum eſt. At ex communi Decretalium loquela *Ordinaria poteſtas* ſemper Epiſcopalem, numquam Papalem, Patriarchalem aut Metropoliticam deſignat. *Rubr. & tot. Tit. X. de officio Judicis ordinarii.*

De verbis Tridentini, quibus Seſſ. XIV. de Pœnit. Cap. 7. dicitur, *Pontifices Maximos, pro ſuprema poteſtate ſibi in univerſa Eccleſia tradita, cauſas aliquas criminum graviores ſuo potuiſſe peculiari judicio reſervare*, egerat Febronius Tom. I. Cap. VII. §. 6. n. 6. ſuſtinens, has reſervationes non niſi ex Epiſcoporum conſenſu obtinere. Hanc interpretandi methodum Jeſuita noſter pag. 53. dubitat, *licentiámne* an *fatuitatem* dicere debeat. Sed fortè mutabit animum, quando ex *Tom. III. Febr. pag.* 291. legerit, eam eſſe ſententiam Corporis Epiſcoporum Galliæ.

„ Monendus ſerio heic eſt *Febronius*, ne *juribus excluſivis* Epiſcoporum adeo confidenter adſcribat jus abſolvendi quoſcunque ritè diſpoſitos ab omnibus reatibus. Hoc enim eſt Romanis Pontificibus facultatem negare cùm reſervandi ſibi in alienis diœceſibus aliquorum criminum cauſas, tum abſolvendi fideles aliorum Epiſcoporum curæ ſubjectos.

„ jectos. Nam utraque facultas jus illud ſanè everteret ex- „ cluſivum abſolvendi quoscunque ritè diſpoſitos ab *omnibus* „ reatibus. At poſſe Romanos Pontifices pro ſuprema ipſo- „ rum poteſtate aliqua ſibi reſervare crimina abſolvenda, à „ Tridentino Concilio definitum eſt. Nec minùs Catholicæ „ Fidei adverſatur, qui facultatem quorumcumque etiam in „ alienis diœceſibus abſolvendorum fidelium Pontificibus ad- „ imit. „ Sic in Nota ad pag. 64. Zaccaria. Sed dubito multùm, an Febronius ab hoc viro, ſuis præjudiciis immerſo, conſilia & monita admiſſurus ſit. De reſervatione Caſuum Papalium jam actum eſt. De facultate abſolvendi in alienis diœceſibus, quam Regularibus Papa largitur, egit Febronius *Tom. I. Cap. VII.* §. *7. n. 2. ſeqq.* Illud omnibus notum, à Tridentina Synodo ſtatutum eſſe, nullum Presbyterum, *etiam Regularem*, poſſe ſæcularium Confeſſiones audire, *niſi ab Epiſcopo approbationem* obtineat, privilegiis & conſuetudine, etiam immemoriali, non obſtantibus. Porro in hac Epiſcopi approbatione conſiſtit ejusdem *Conſenſus*, ſine quo, etſi Regularis à Papa commiſſionem haberet, Confeſſio nulla eſſet; quidquid ante Tridentinum nonnulli, falsâ ideâ *Epiſcopatûs Univerſalis* circumventi, in contrarium ſcripſerint.

V. De hoc *univerſali Epiſcopatu* (quem S. Gregorius M. *Lib. V. Epiſt.* 18. 20. 21. 43. *Lib. VII. Epiſt.* 31. 33. *Lib. IX. Epiſt.* 68. adeo reſpuit & damnavit, tam in ſe quàm in Joanne Archiepiſcopo Conſtantinopolitano, ut illum vocaret *ſuperbum*, *perverſum*, *ſcandaloſum*, *ſceleſtum*, *nefandum* ac *ſtultum*; *nomen erroris*, *nomen blaſphemiæ*) egerat Febronius Tom. I. Cap. II. §. 11. n. 3. 4. Cap. VII. §. 1. n. 6. Tom. II. p. 380. Idque eo fine, ut ex ipſo S. Gregorio comprobaret, neque Epiſcopo Conſtantinopolitano competere jus omnia Epiſcopalia munia per totum diſtrictum ſui Patriarchatûs exercendi, neque Romano Epiſcopo in omnibus diœceſibus univerſi orbis. Zaccaria adversùm hæc Gregorianis Epiſtolis alium ſenſum appingit, *Tom. II. Antifebr. vind. pag.* 69. ita ſcribens: „Eo ſolùm ſenſu à Gregorio titulum illum *Oecumenici*

Epi-

„ Epiſcopi in Joanne reprehenſum, ſibique ac cæteris Roma-„ nis Pontificibus denegatum, eo, inquam, ſenſu, quo & „ ab Epiſcopo Conſtantinopolitano, qui ſui Patriarchatûs fi-„ nibus concluſus nec vigilantiam neque auctoritatem in cæ-„ teros Chriſtiani orbis Patriarchatûs exercere poterat, alie-„ nus maximè erat; & à quocumque demum, etiam à Ro-„ manæ Eccleſiæ Præſulibus uſurparetur, ita concurrentem „ cum Epiſcopali Pontificis, aut alterius cujusque auctorita-„ tem, *ut eam ab omnibus Epiſcopatûs functionibus excluderet*, „ deſignaſſe videretur; numquam autem de ea Romanis Pon-„ tificibus eripienda poteſtate, quæ cum Epiſcopali concur-„ rat, ſed eam includat, ac ſolummodo moderetur, & regat, „ Gregorium cogitaſſe. „ Abſurdum ſanè Jeſuitæ figmentum eſt, quaſi Joannes Conſtantinopolitanus fimbrias ſuas eousque prætenderit extendere, ut ei liberum fuiſſet, per omnes ſui Patriarchatûs fines Epiſcopalia *cum excluſione propriorum Epiſcoporum* exercendi. Obſervat Guaſſanvillæus in Notis ad cit. Epiſt. 20. & 43. Libri V. S. Gregorii, Græcos nomen *Oecumenici* ſuo Patriarchæ eâ tantùm de cauſa tribuiſſe, quòd toti cuidam parti orbis præeſſet.

Quid ultrà? Quòd Vir noſter, & Theologi, quos in ſuo Antifebronio italico Differt. II. Cap. 3. n. 6. memorat, ſtatum quæſtionis, quæ fuit inter Gregorium Pont. Max. & Joannem Jejunatorem, aſſecuti non ſint. Nos eam damus ex Oriente Chriſtiano Michelis le Quien *Tom. I. pag.* 67. „ Hoc unum illis (Patriarchis Conſtantinopolitanis) deeſſe „ videbatur, ut ſpeciali quodam titulo ſeſe Romano Pontifici „ per omnia æquales ſignificarent. Quocirca, quia in Chal-„ cedonenſis Synodi actis legerant, uti antehac in Latrocinio „ Epheſino Dioſcorum ab Evazorum Epiſcopo Olympio, ſic „ & Leonem Magnum Papam ab Athanaſio Alexandrinæ Ec-„ cleſiæ Presbytero, Theodoro item & Iſchyrione Diaconis, „ & à Sophronio laico, in Libellis ipſorum adversùs eundem „ Dioſcorum, *univerſalis Archiepiſcopi & Patriarchæ* nuncu-„ patione donatum, quin etiam ab ejusdem vicariis cùm ſub-

ſcribe-

„ ſcriberent, *univerſalis Eccleſiæ urbis Romæ Epiſcopum & Papam* appellatum, Monachos item Syriæ eodem titulo „ Hormisdam Papam in ſuo adversùs Severum ſupplice li„ bello ſalutaſſe, *Sanctiſſimo & beatiſſimo univerſæ orbis terræ Patriarchæ Hormisdæ*; idcirco eodem honoris vocabulo Pa„ triarcham ſuum inſigniri curaverunt Byzantini. Juſtinianus „ nimirum Imperator in reſcripto ad Epiphanium Conſtanti„ nopolitanum, quod exſtat in ejus Codice, tit. *de Sanctiſſima Trinitate*, hunc Patriarcham *œcumenicum* appellavit‐‐‐‐ „ Eamdem variis Novellis ſuis vocem idem Imperator præ„ fixit, quas ad Epiphanium, Anthimum, Mennam, Byzan„ tinos Antiſtites dedit, quemadmodum & aliis quibusdam „ ad Agapetum Pontificem Romanum ſcriptis. ‐ ‐ ‐ ‐ ‐

„ Quum igitur Conſtantinopolitanus Præſul multiplici „ Principum Lege omnibus Orientis Patriarchis prælatus eſ„ ſet, ac præ illis *Oecumenicus* ſeu *univerſalis* Patriarcha ſalu„ tatus; Joannes Jejunator, qui eam Sedem ſub Tiberio II. „ capeſſivit, poteſtatem quoque ſibi arrogavit generalem Sy„ nodum, totius præſertim Orientis, Conſtantinopolim con„ vocandi ‐ ‐ ‐ ‐ Inauditum hactenus Jejunatoris auſum Illirici „ Præſules, ad quos ille literas iſtas ſuas tractorias mittere „ non dubitaverat, Pelagio II. Pontifici Romano Primati ſuo „ confeſtim detulerunt &c. „

Inde illæ oppoſitiones adversùs hunc univerſalem Patriarchatum, imprimis quidem jam laudati Pelagii, deinde ejus ſucceſſoris Gregorii M. quæ proſtant in ſuprà memoratis hujus Epiſtolis, datis ad ipſum Joannem Patriarcham, ad Mauritium Imperatorem, ad Conſtantiam Auguſtam, ad Eulogium *Alexandrinum* & ad Anaſtaſium *Antiochenum* (quorum, tanquam ad Orienem pertinentium, maximè intererat) denique ad omnes totius orbis Epiſcopos. Hi & alii Romanorum Præſulum labores non impedierunt, quominus Byzantini Patriarchæ *Oecumenici* titulo frequentiſſimè uterentur; unde tandem, creſcente identidem æmulatione, magnum illud ſchisma Orientalium ab

Occidentalibus ortum & confirmatum eſt, non ritus aut doctrinæ alicujus cauſâ, ſed propter Sedium prærogativas.

Porro quidquid valuit Gregorius M. hoc collegit, hoc oppoſuit, ut Conſtantinopolitanum Patriarcham ab uſurpatione tituli *Univerſalis* retraheret, & ejus attentatum redderet odioſum. Eo fine inter cætera (ex zeli abundantia, acriori ſtylo, vocabulo *Univerſalis* materiam ſuppeditante) Joanni cit. Epiſt. 18. objecit, de quo ille veroſimiliter non cogitavit: *ad hoc perductus es, ut deſpectis fratribus Epiſcopus appetas ſolus vocari.* Et infrà rationem reddit, cur nullus Rom. Pontifex ſibi titulum univerſalis Epiſcopi aſſumpſerit: *Ne*, inquit, *ſi ſibi in Pontificatûs gradu gloriam ſingularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegaſſe videretur.* Voluit ſcilicet S. Gregorius in *Conſtantinopolitano* reprimere, quod ne *Romanus* quidem appeteret. At nunquam ille prætendit jus *excluſivum Epiſcopalia* per totum Orientem exercendi, ſed *Patriarchalia* tantùm; hæc in quo conſiſtant, *Tomo II. Febr. pag.* 388. dictum eſt. Porro ea (ne latiùs, atque ad Occidentem etiam, Joannis & Succeſſorum ejus prætenſio excurreret; quod deinde ſub prætextu translati in Orientem Imperialis ſolii factum eſt) Pontifex, tanquam Caput & Primas Eccleſiæ, intra binos alios Orientales Patriarchatus, Alexandrinum & Antiochenum, utpote à Conſtantinopolitano jure & facto diſtinctos, adeoque per *univerſum Orientem* illi meritò contradicebat, allegans, eo fine titulum *univerſalis Epiſcopi* à Joanne uſurpatum, quo ille in deſpectum aliorum utens, eis dominari, & indebita in illos jura ſibi aſſerere videretur. Fatetur eâ occaſione, à verbo *Univerſalis* arreptâ, S. Gregorius M. ſi Romanus Pontifex talia attentaret, eum non immeritò taxari, quaſi gloriam ſingularitatis arripere, & deſpectis fratribus eſſe, aut ſaltem vocari vellet, quod ipſe non eſt, ſed quod poſt diœceſium diviſionem quiſque in ſua proprie eſt, idque cum excluſione cujuſcunque alterius. Cæterùm obſervat Colletus *Inſtit. Theol. Tom. II. pag.* 585. S. Leoni in Concilio Chalcedonenſi eo ſenſu nomen Epiſcopi univerſalis datum eſſe, *quia in omnes orbis*

orbis Eccleſias IN HIS REBUS, QUÆ POLITIAM ECCLESIÆ NB. TOTIUS SPECTANT, *jurisdictionem habeat*; quod planè aliud eſt, quàm cum ſingulis Epiſcopis in exercitio propriarum functionum concurrere. Atque ad illud aſpirabat Patriarcha Conſtantinopolitanus.

VI. „ Hoc tempore ſummi Pontifices in Bullis non „ utuntur ampliùs titulo *Epiſcopi Urbis*, ſed tantùm *Epiſcopi*, „ ſine aliquo addito, ſcilicet *Clemens Epiſcopus*, ne deſignan„ do ſpecialis Urbis Epiſcopatum, reliquarum ſedium Epiſco„ patus denegetur, cùm verè Papa ſit Epiſcopus totius Ec„ cleſiæ: Ita Vitalin. *in Prooemio Clemen. ver. Joann. num.* 26. „ ibi: *Ne detur occaſio curioſis & pertinacibus per expreſſio*„ *nem certæ Sedis aſſerendi, eum non eſſe aliarum Sedium Epi*„ *ſcopum, quod eſt falſum:* Nam verè Papa eſt Epiſcopus in „ plenitudine poteſtatis, reliqui verò Epiſcopi ad partem ſol„ licitudinis vocati fuere. „ Sunt ipſiſſima verba Cardinalis Vincentii Petra in *Commentariis ad Conſtitutiones Apoſtolicas Tom. I. pag.* 78. *n.* 7.

Ex hujus Cardinalis (qui ſub Clemente XI. officio Secretarii Congregationis Concilii functus eſt) teſtimonio, eòque expreſſè laudato, intulit Vindex Febronii *Tom. II. pag.* 381. ideo *hanc mutationem Styli* factam fuiſſe, ne crederetur Curia agnoſcere, Pontificem ſolius Urbis eſſe Epiſcopum. *In hoc*, exclamat Zaccaria pag. 80. *tanta vis eſt hallucinationis, atque inſcitiæ, quantam capere nulla mens poſſit.* Sic adversùs Febronium ille declamat, de Card. Petra ne hiſcit quidem, quaſi hic non fuiſſet nominatus. Poſt hæc ex ſæculis IV. V. VI. & VII. plures adducit Pontificum Epiſtolas, in quibus illi ſe ſimpliciter *Epiſcopos* ſcripſere. Verùm omittit vir cautus recenſere eas Epiſtolas, in quibus Papæ iisdem ſæculis ſe ſcripſerunt *Epiſcopos Urbis Romæ.* Nos hac in parte ejus memoriam levabimus & defectum ſupplebimus ex leviter decurſis tribus prioribus Voluminibus Collectionis Conciliorum Harduini. In his occurrunt ſequentia: TOMO I. col. 1233. *Zoſimus Epiſcopus Urbis Romæ.* Col. 1238. *Hono-*

 rius

rius Imp. ſancto & venerabili Bonifacio Papæ Urbis Romæ. Col. 1778. *Leo Romanæ Urbis Epiſcopus.* TOMO II. col. 11. *Leo Urbis Romæ Epiſcopus.* Col. 814. *Exemplum Epiſtolæ Papæ Felicis Urbis Romæ.* Col. 905. *Gelaſius Epiſcopus Urbis Romæ.* Col. 1061. *Joannes Urbis Rommanæ Epiſcopus.* TOMO III. Col. 133. *Ad ſanctiſſimum Papam antiquioris Romæ Vigilium.* Col. 414. *Pelagius Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ catholicæ Urbis Romæ.* Col. 442. *Pelagius Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedis Epiſcopus.* Col. 1861. *Capitulare Gregorii Papæ Urbis Romæ.* Plura inquirenti plura ejus generis obvenient.

Itaque proſtant Epiſtolæ plurimæ, in quarum aliis Pontifices ſe inſcripſerunt *Urbis Romæ Epiſcopos*, in aliis ſimpliciter *Epiſcopos.* Neque tamen eapropter minùs verum erit, quod teſtantur Petra & Vitalinus, ea in re eveniſſe mutationem Styli Curiæ; conſiſtet illa in hoc, quòd, cùm quondam uterque ſtylus peræque uſitatus fuiſſet, Romani, noſcentes ſuo Epiſcopo à *curioſis & pertinacibus* (ſic Vitalinus eos vocat, qui S. Gregorii M. ſententiam ſequebantur) univerſalem in Eccleſia Epiſcopatum negari, non voluerint ampliùs primâ harum formularum uti, ſed penitus adoptaverint alteram, exiſtimantes hac qualiquali praxi ſuam prætenſionem, quæ epocham falſarum Decretalium non excedit, aſſerere & firmare.

VII. Supereſt, ut videamus, quid de hoc *titulo*, imò de *re ipſa*, in Tridentina Synodo actum fuerit. Præſtabimus id relatione Hiſtoriographi Curiæ, Cardinalis Pallavicini. Is imprimis *Lib. XIX. Cap* 15. *n.* 3. „ Cuncta (ait, Gallorum „ poſtulata, Romæ) videbantur haud difficulter perfici poſſe, „ unico excepto, nimirum ne concederetur Pontifici, quod in „ Florentina Synodo ipſi tribuebatur, hoc eſt, illi deberi *uni-* „ *verſalis Eccleſiæ regimen.* Iniquiſſimè id negari, quando „ etiam ante eam Synodum in eo convenerat eandem prærogativam alia Synodus Oecumenica, in Gallia Lugduni „ celebrata; & quando apparebat in vetuſtiſſimis diplomatibus

„ bus præſens conſuetudo appellandi Romanum Pontificem
„ *Epiſcopum Eccleſiæ Catholicæ*, quod tantum ſonat quantum
„ *Univerſalis*: quin etiam quando ritus eſt à Cæſare uſurpa-
„ tus, cùm ad Pontificem ſcribit, ut apponat inſcriptioni:
„ *Ad Pontificem Eccleſiæ univerſalis.* Verumtamen addebatur,
„ ne cum alieni animi duritie decertaretur, poſſe loco dicta-
„ rum vocum has poni: *regere univerſum Domini gregem*;
„ quo pacto loquitur Innocentius IV. in *Cap. 5. de Schiſm.*
„ *Lib. VI. Decretalium*; aut etiam poſſe illic relinqui ſimpli-
„ cem vocem *Eccleſiæ Dei*, omiſſâ *Univerſalis*, dummodo
„ alia quæpiam vox mutuaretur ex uſurpatis in Concilio Flo-
„ rentino, nec in hac tantummodo mutatio deprehenderetur
„ ----- Sed ſubdebatur (*in litteris juſſu Pontificis à Card.*
„ *Borromæo ſcriptis*) ubi arduitas in eo quoque offenderetur
„ ſine diſſidio inſuperabilis, ſatis futurum Pontifici, ſi nec
„ de ſua, nec de Epiſcoporum poteſtate quidquam exprime-
„ retur, illis tantùm editis definitionibus, in quas Patres una-
„ nimi conſenſu conſpirarent. Breviter, modò Sedis Apoſto-
„ licæ auctoritas haud vulneraretur, ea Præſides agerent,
„ quæ in obſequium Dei, & in rem Chriſtiani generis ceſ-
„ ſura exiſtimarent. „

Deinde *Lib. XX. Cap. 3. n. 2.* „ Ex Card. Lotharingo,
„ & aliunde Vicecomes elicuit, Gallos numquam flexum iri
„ ad memorata jam verba, Pontificiæ poteſtati faventia, nec
„ apud ipſos auctoritatem Florentinæ Synodi valere, utpote
„ celebratæ ad æmulationem, oppoſitionémque Baſileenſis,
„ quæ ab Academia Pariſienſi ſuſtinebatur-----

Dum denique *Lib. XXI. Cap. 4 n. 13.* narrat Pallavici-
nus, qualiter adhuc multùm hinc inde de titulo *Epiſcopi uni-
verſalis* concertatum fuerit, illico ſubjungit *num.* 14. & 15.
„ Dum omni ſtudio dabatur opera, ut exemplar propoſitum
„ per voces cunctis acceptas conficeretur, nuntius improviſus
„ Lotharingi ad eos delatus ipſos ab opere diſtraxit: A ſe
„ ſuam illam ideam fuiſſe propoſitam *Gallis Epiſcopis*; & dum
„ confidebat eos universè illi aſſenſuros, in pluribus repu-

X 3 gnan-

Digitized by Google

„ gnantiam inelučtabilem offenſam fuiſſe: ſe præſtò eſſe ad „ eam per ſe ſubſcribendam, ſed abſque ſpe, ut *à Synodo* „ comprobaretur. Hoc nuntio ſpes omnis in Legatis evanuit.

Ex his apparet, qualiter *Univerſalis* Rom. Pontificis *Epiſcopatus*, non ſolùm à *Gallis* conſtanter refutatus, ſed re maturiùs diſcuſſâ, ne ſpes quidem ſuperfuerit, ut à *Synodo* agnoſceretur; nequidquam obſtante Decreto Concilii Florentini, quod ab Eccleſia Gallicana non recipietur, quoadusque hæc Baſileenſem Synodum tuebitur. Eandem, quoad hoc, Florentini infirmitatem Tridentini Patres eâ occaſione haud obſcurè faſſi ſunt.

Sanis his principiis inhærentes Galli, nullam *immediatam jurisdictionem Epiſcopalem* (quippe quæ effectus vel ſequela foret prætenſi illius *univerſalis Epiſcopatûs*) Papæ aut illis, qui ab ipſo delegantur, in hunc uſque diem in ſuo regno agnoſcunt.

CAPUT III.

De Primatu Rom. Pontificis, relativè ad univerſale Concilium. Patris Zaccariæ Syſtema falſum & ordini Epiſcoporum injurioſum.

I.

Injuriam me facturum arbitrarer Eccleſiæ & Clero Gallicano, atque ſummis ejusdem Nationis Theologis, ſi poſt doctiſſimas horum lucubrationes, ſuperioritatem Univerſalis Concilii denuo probare ſuſciperem. Noſtra ſolùm in præſens opera erit monſtrare inanitates, fallacias & abſurditates, quas Zaccaria proponit ad atterendam Eccleſiæ in œcumenica Synodo congregatæ authoritatem, & elevandam Epiſcopis votorum libertatem.

Et

Digitized by Google

Et imprimis quidem Jeſuita *Tomo II. Antifebronii vindicati pag.* 115. „Statum, inquit, quæſtionis Febronius aut „ non intellexit, aut conſultò neglexit. Infallibilitatem, quam „ Chriſtus promiſit Eccleſiæ, non promiſit Apoſtolis ſeparatis „ à Petro, ſed unà cum Petro. Promiſſionem hujusmodi ad „ Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores extendi certum eſt, quan„ do unà cum Petro ſeu Petri ſucceſſoribus in unitate ejus„ dem fidei definiunt & judicant; atque ita infallibilitatis præ„ rogativâ non gaudent, niſi ex conſenſu vel confirmatione „ ſummi Pontificis conſtet, ea Epiſcoporum judicia cum Apo„ ſtolicæ Sedis fide convenire······ Dein *pag.* 117. Det „ mihi Febronius Concilium, in quo Epiſcoporum ſententiæ „ cum ſententia Pontificis ita conſpirent, quemadmodum „ Apoſtoli in Hieroſolymitana Synodo conſpirârunt cum „ Petro: conveniet illi illud Apoſtolicum effatum: *Viſum eſt* „ *Spiritui Sancto & nobis.* ······ Ipſe ille Conciliorum titu„ lus: *Sacrum Concilium in Spiritu Sancto legitimè congrega*„ *tum* id Febronium docere poterat; quod enim in *Spiritu* „ *Sancto* congregatur Concilium, niſi quod *legitimè* cogitur? „ quodnam verò *legitimè* cogitur, niſi quod ſummo aut indi„ cente aut ſaltem conſentiente Pontifice celebratur? „

Si Febronius (quem Jeſuita pag. 114. hac occaſione *inconſideratæ ſimplicitatis ſectatorem* nuncupat) ſtatum quæſtionis aut non intellexit, aut conſultò neglexit, quando Concilium omnium Epiſcoporum, ſine Papæ convocatione, præſidio & conſenſu (dummodo cætera non deſint) congregatum, illo ſuperiorem eſſe, cum tota Eccleſia Gallicana & aliis viris graviſſimis aſſeruit, ergo ſtatum quæſtionis pariter non intellexerunt Patres Concilii Conſtantienſis, & Clerus Gallicanus anno 1682. Pariſiis congregatus. Ita autem in eo Conventu Clerus Galliæ ſtatum quæſtionis propoſuit, ſimul & definivit: *Sic ineſſe Apoſtolicæ Sedi ac Petri ſucceſſoribus, Chriſti Vicariis, rerum ſpiritualium plenam poteſtatem, ut ſimul valeant atque immota conſiſtant Sanctæ Oecumenicæ Synodi Conſtantienſis, à Sede Apoſtolica comprobatæ, ipſóque Romanorum Pon-*

Pontificum ac totius Eccleſiæ uſu confirmata, atque ab Eccleſia Gallicana perpetuâ religione cuſtodita Decreta de Auctoritate Conciliorum Generalium, quæ Seſſione quartâ & quintâ continentur; nec probari à Gallicana Eccleſia, qui eorum Decretorum, quaſi dubiæ ſint Auctoritatis ac minùs approbata, robur infringant, aut ad ſolum Schismatis tempus Concilii dicta detorqueant.

Ut autem ſtatus quæſtionis cuique apertior fiat, dabimus eum verbis Ludovici Maimburgi, quem ipſe adverſarius indicat. Ita autem ille in Tractatu, quem inſcripſit, *de l'établiſſement & des prérogatives de l'Egliſe de Rome Cap. XVI.* „Il „ s'agit de ſçavoir, ſi depuis, qu'un Concile eſt legitimement aſſemblé, ſoit que le Pape, qui en eſt ſans contredit „ le Chef, y preſide par lui-même, ou par ſes Legats, ſoit „ qu'il n'y aſſiſte, & n'y préſide ni en l'une ni en l'autre „ maniere, comme il eſt arrivé plus d'une fois, ainſi qu'on „ le vit au ſecond Concile Oecumenique de cent cinquante „ Evesques, & au cinquieme de plus de cent ſoixante; ſi, „ dis-je, ce Concile conſideré dans ſes membres unis, ou „ ſous le Pape, qui a droit de les préſider, ou à ſon defaut „ ſous un autre Préſident, eſt pardeſſus le Pape, & a ſur „ luy l'autorité ſouveraine, de ſorte qu'il ſoit obligé de ſe „ ſoumettre à ſes decrets & à ſes definitions, de les approuver, & d'y conſentir comme tous les autres, encore qu'il „ ſoit d'un avis contraire en ſon particulier, ou ſi le Pape „ eſt tellement par deſſus tous les autres membres de ce „ Concile unis enſemble, ſoit qu'il s'y trouve ou ne s'y „ trouve pas, que s'il n'approuve ou ne confirme par ſon „ ſuffrage & par ſon autorité ces decrets & ces definitions, „ ce Concile n'ait nulle autorité ni ſur luy ni ſur les Fideles.„ Sub hoc aſpectu hanc quæſtionem tractarunt Boſſuetus, Tournelius, Colletus, & centum alii; ſub eodem aſpectu acceptum volumus, quidquid eâ de materiâ in Operibus Febronii tractatum eſt.

II. Transeamus hinc ad vim & robur ſuffragii Epiſcoporum, quando hi non ſine Pontifice, ſed cum eo ſtatuunt de

de rebus, ſeu Fidei, ſeu Diſciplinæ, tum in Concilio, tum extra illud. Primùm autem diſpiciamus de extra-conciliari Epiſcoporum examine Pontificiorum Decretorum; hoc nos perducet ad auctoritatem votorum Epiſcopalium in Synodis. Porro de priore illa ſpecie examinis ac judicii ità P. Zaccaria *pag. 133. ſeqq.* „ Duplex eſt examinis genus, *auctoritatis* „ alterum, alterum *inſtructionis & confirmationis.* Illud etiam „ *juridicum* vocant, hoc *judicium ſimplicis adhæſionis*, ſeu „ *prudentiæ*. Primum in eo ſitum eſt, quòd quis in Pontificis definitionem pro ſua auctoritate dubius inquirat, ſacriſne Scripturis ac Traditioni conſentanea ſit, an diſſentanea. Alterum ſæpe ſolâ Romani Pontificis definitione, „ cui aſſenſum præbet, contentum eſt. - - - - Si quis Pontificia decreta cum Scripturæ ſacræ ac Traditionis monumen- „ tis conferre voluerit, non planè repugnabimus, *modò ne id* „ *faciat, ut definitionis inde veritatem, de qua antea dubita-* „ *ret, eliciat*, ſed ut vel firmum quoque rationibus teneamus, „ quod unâ definientis auctoritate certum habeatur - - - - - „ *Pag. 136.* Porro Eccleſiæ diſperſæ Præſules de rebus an- „ tea à Romano Pontifice definitis judicare, etiamſi illo au- „ ctoritatis examine perpendere illas non poſſint, teſtatiſſima „ res eſt poſt eà, quæ de Conſtitutione *Unigenitus Galliarum* „ Epiſcopi tot editis libris prodidere. Palam enim profeſſi „ ſunt, illos ipſos Epiſcopos, qui in *Italia*, *Polonia*, *Hiſpaniis*, *Dalmatia* Pontificiæ in fidei definitionibus poteſtati maximè favent, eam tamen Conſtitutionem examini ſubjeciſſe, „ non certè *auctoritatis*, quæ dubitans veritatem pernoſcere „ cuperet; qui enim Romanum Pontificem errare in ejusmodi „ definitionibus non poſſe firmiter crederent, ſine fluctuanti „ circa veritatem animo in illam Conſtitutionem inquirere „ adgreſſi fuiſſent? Pugnantia hæc ſunt. „

Ego quidem nullus dubito, quin poſſint ii etiam Epiſcopi, qui inerrantiæ ſummorum Pontificum ſubſcribunt, nihilominus eorum Conſtitutiones debito ſtudio & ita ponderare, ut independenter à prætenſo illo inerrantiæ privilegio,

 etiam

etiam convincantur de intrinſeca earum bonitate & juſtitia. Hoc, & nihil aliud, intenderunt Præſules Galliæ in Paſtoralibus ſuis Documentis, quorum Adverſarius meminit *pag.* 136. *ſeqq.* relativè ad acceptationem memoratæ Bullæ *Unigenitus*. Quid ſinguli eo in negotio præſtiterint, quis indaget? Nobis illud certum eſt, legem publicâ & legitimâ auctoritate conſtitutam, firmam ex ſe ac inconcuſſam eſſe debere, nec privato cuicunque, ut eam infirmet, fas eſſe inquirere in examen, modum & motivum quo lata eſt. *Si ſemel*, ait Melchior Canus Loc. Theol. Lib. V. Cap. 5. *novatoribus hanc licentiam permittimus, ut in quæſtionem vocent, num Eccleſiæ judices eam diligentiam & curam exhibuerint, qua opus erat ut quæſtio finiretur, ecquis adeo cæcus eſt, qui non videat omnia mox Pontificum Conciliorúmque judicia labefactari.*

III. Hinc (ſic proſequitur Zaccaria *pag.* 138.) magnus ille Cameracenſis Archiep. Fenelonius de ſuo ipſius Libro, *Maximes des Saints* inſcripto, atque ab Apoſtolica Sede damnato, declaravit, non poſſe Epiſcopos ſuæ Provinciæ aliud de eo edere judicium, quàm ſimplicis adhæſionis & acceptationis. Memoires du Clergé *Tom. I. pag.* 461. Duo hìc obſervo: Primum, tanquam certum, Fenelonium in Pariſienſi ſchola educatum, principiis ſuæ Eccleſiæ ſemper fidelem, non credidiſſe Rom. Pontificem in definitionibus fidei infallibilem: Alterum, admodùm veroſimile, quòd idem illuſtriſſimus & modeſtiſſimus Præſul cauſas *ſingulares* habuerit Romano judicio in hac ſua propria cauſa adquieſcendi: *dans les circonſtances de ce cas particulier*: ſic loquuntur memorata Acta Cleri Gallicani. Hæc conjectura plurimùm firmatur ſequenti Epiſtolâ: „Rome condamna la doctrine de M. de Cambrai: Il „ ſe ſoumit. Je me trouvai dans un autre embarras: pouvois-je „ croire cette ſoumiſſion ſincere, tant que je ne voyois pas „ le Prélat devenir, comme S. Paul le prédicateur de la foi „ qu'il avouit combattue. Je ne croirai qu'on eſt detrompé „ d'une erreur, que je la verrai attaquer avec autant de force

qu'on

„ qu'on en a eu pour la ſoutenir. „ *Lettres de Madame de Maintenon Tom. III. pag.* 159.

Imò, inquit noſter Jeſuita *pag.* 139., ùt Illuſt. *de Salcon* Ruthenenſis Epiſcopus rectè monet, Epiſcopi omnes, dum cujusque Concilii Oecumenici, cui intereſſe non potuerunt, deciſionem acceptant, judicant ac decidunt, quod à Concilio jam definitum ac judicatum fuit: *Les Evêques, qui acceptent la deciſion d'un Concile Oecumenique, jugent & decident ce qui a deja été jugé & decidé par le Concile.* Hæc veriſſima ſunt; ſed ánne hi Epiſcopi feriùs ſubſcribentes aliquid ponderis addent deciſioni Concilii Oecumenici, quod quà tale ab Eccleſia jam agnitum erat, antequam illi judicantes ſubſcriberent? Nihil ſanè. Tantùmne dicent Galli (quorum auctoritatem Jeſuita hic inclamat) de judicio Synodi Univerſalis Papalem definitionem ſubſequentis?

IV. Pergit ille, & nos cum eo, ad Epiſcoporum ſuffragia in Synodo. „ Si, inquit *pag.* 148. in Conciliis judicant „ Epiſcopi, tunc etiam, quum *obedientes* ſubſcribunt definitioni, *quam ſequi debent*; quidni eadem judicii ratio habebitur, quum in iisdem Conciliis Patres definiunt, quod „ antea definivit ſummus Pontifex, *quamvis ſequi debeant ejus* „ *judicium*? Poſt hæc dicetne ampliùs Febronius, *ad has* „ *conditiones reſtringere qualitatem judicis & voti deciſivi Epi-* „ *ſcoporum eſſe veram luſionem in verbis?* Si in ſententia perſtet, fruſtra eſt ad ejus excitandum veternum omnis argumentantis induſtria. „ Dixit illud utique *Tom. II. Febr. pag.* 462. & dicet ſemper. Sed audiamus porro Zaccariam.

Ille jam antè, ſc. *pag.* 144. ſcripſerat: „ At ſi ita res ſe „ habet, Pontificiæ definitioni Concilii Patres liberè diſſentire non poſſent. ITA OMNINO EST. Sed hi fallun- „ tur, qui judicis rationem in illa libertate diſſentiendi collo- „ cant, ut cum aſſentiendi obligatione ſtare non poſſit. - - - - „ Nónne judices haud dubiè fuerunt Apoſtoli & Seniores in „ Hieroſolymitano Concilio, quum omnes in S. Petri ſen- „ tentiam tranſierunt, etiamſi idem S. Petrus Spiritu Sancto

„ certiſſimè afflatus, controverſiam ante omnes definierit, „ contra quam licitè nemo Catholicus poterat reluctari. „ Nónne in ipſo Tridentino Concilio veri judices fuerunt „ Epiſcopi, quoad ea quoque fidei decreta, quibus damnarunt „ hæreſes à novatoribus repetitas, & pluries etiam antè da„ mnatas, etiamſi nemo de juſta illarum condemnatione poſſet „ ambigere? „

Non potuiſſet, me quidem judice, noſter Lainezii diſcipulus aptius invenire medium, ſe cum integra ſua Societate toti Epiſcoporum Ordini odioſum reddendi, ſeu, ùt ipſe in Tridentino ajebat Lainez, *in vituperationem aſſentatorum Pontificiorum cadendi*, (vid. Pallavicin. *Lib. XVIII. Cap.* 15. *n.* 2.) imò Acatholicis ingens creandi ſcandalum, quàm Epiſcopis eam imponendo ſervitutem, ut in Synodis à Papa non valeant diſſentire. Liceat mihi hìc repetere, quod in Tridentina hac de re dixit Georgius Ziſchouid Hungarus, Ordinis Minorum S. Franciſci de Obſervantia, Epiſcopus Signienſis in Croatia, nempe: Se à quinque jam menſibus Tridenti ſubſiſtere, ea perſuaſione, quòd ſacra Synodus immediatè à Deo, non à Papa, ſuam auctoritatem obtineat. Si contrarium ſuſtineatur, deluſum ergo hactenus & ſe & univerſum orbem Chriſtianum, qui amplius aliquid ab immediata Spiritûs Sancti influxu exſpectabat, quàm neceſſitatem ſequendi voluntatem Papæ; hanc circa materias fidei populis jam ante Synodum innotuiſſe. Proteſtantes, in omnem occaſionem Synodum calumniandi intentos, nunquam ampliorem & ſuo ingenio magis faventem campum inventuros &c. Continuator Fleury *Hiſt. Eccleſ. Lib. CLX. n.* 110.

Aſſerit quidem Adverſarius *pag.* 145. Epiſcopos poſſe, imò debere à Pontificis definitione diſſentire, ſi eam doctrinæ fidei contrariam cognoſcerent. Verùm hanc hypotheſim omnino falſam eſſe ſuſtinens, mox cum ſuo Ballerinio ſubjicit, *Romanos Pontifices ex Chriſti pollicitatione Petro factâ ita à Deo dirigi, ut ipſorum judicia pro ſancienda regula fidei divinâ æque ac ſummâ auctoritate nitantur, cui Chriſtiani omnes ipſius*

quo-

quoque mentis obſequium præſtare tenentur. Hoc quid eſt aliud, quàm pro fundamento ponere, quod maximè eſt in quæſtione, & ex principio tam fluxo, quod omnis Gallia reſpuit, cujúsque infirmitatem tot viri magni demonſtrârunt, exuere Epiſcopos ſuâ *naturali*, imò *divinâ libertate* votandi in Conciliis. Cæterùm nemo dubitat, quin Epiſcopi obligentur conformare ſua judicia in materiis fidei menti ſummi Pontificis, ubi illam cognoverint anterioribus Eccleſiæ & Conciliorum definitionibus conformem. Quid denique & quo modo ab Apoſtolis & Diſcipulis Domini in celebri illa Synodo Hieroſolymitana actum fuerit, *Tomo I. Febron. Cap. I.* §. 7. *n.* 3. ſatis explicatum eſt. Inde adverſariis noſtris plus diſpendii quàm ſubſidii.

V. Nulla doctrina cùm abſoluta Papæ Monarchia, quam Romani omnium ſuarum prætenſionum baſim & fundamentum ponunt, magis pugnat, quàm ea quæ Synodum Eccleſiæ univerſalis Pontifici præfert. Ea de cauſa illi à temporibus Baſileenſis Concilii nullum non movent lapidem, ut, ſi poſſent, Conſtantienſium Decretorum auctoritatem labefactarent. Hoc per vices fecerunt *Turrecremata*, *Cajetanus*, *Jacobatius*, *Bellarminus*, *Duvallius*, *Sfonderatus*, *Scheleſtratus*, *Rocabertus*, *Charlaſius*, *Card. Orſi*, & multi alii, quos nunc plaudente Rom. Curiâ, excipit *P. Zaccaria*, qui in ſuo Antifebronio vindic. *Tom. II. Diſſert. IV. Cap.* 8. & 9. hanc iterum chordam oberrat, in qua eum haud ſequemur, illum (quod jam antè ſtatueramus) ad *Boſſuetos*, *Natales Alexandros*, *Zallweinios*, *Colletos*, aliósque primi ordinis Theologos, Gallos præſertim, remittentes. Si quæ ab his doctiſſimè elucubrata ſunt, ex quibus non pauca in prioribus *Tomis Febronianis* relata fuerunt, moroſis & obſtinatis hominibus non ſufficiunt, neque plura ſufficient.

Interim non ceſſant illi noſtræ doctrinæ, licèt inani conatu, inſidiari. Sic Zaccaria *cit. Tom. II. pag.* 103. & 160. ſi, inquit, Romani Pontifices Generalium Conciliorum vi ſubjiciantur ac ſanctionibus, ſinguli etiam Epiſcopi diœceſana-

 rum

rum Synodorum decretis ſubjicientur. Sanè juxta illud Matthæi XVIII. *Si te non audierit, Dic Eccleſiæ*, quilibet, ſive magnus, ſive parvus, in ſpiritualibus illi Eccleſiæ, quæ ejus Superior eſt, denuntiandus & ab ea judicandus venit. Huic divinæ ordinationi innixi celeberrimi Theologi Galliæ, Gerſon *Tractatu de Poteſtate Eccleſ. Conſid. IV. Opp. Tom. II. col.* 231. Jacobus Almainus *de Auctoritate Eccleſiæ & Concilii generalis Cap. VI. Tom. II. Gerſon. col.* 987. Joannes Major in Diſputatione *de Auctoritate Concilii ſupra Pont. Max. Tom. II. Gerſon. col.* 1133. Natalis Alexander *Diſſert. IV. in Hiſt. Eccleſ. ſæculi XV. & XVI. Tom. VIII. pag.* 372. ſuſtinent, Papam deviantem & incorrigibilem univerſali Eccleſiæ (quæ ſola ex ſanis principiis Eccleſiæ Gallicanæ, decretis Conciliorum Conſtantienſis & Baſileenſis innixæ, Romano Pontifice immediatè ſuperior eſt) in *Generali Concilio* congregatæ denuntiari & ab ea judicari debere. At nemo hactenus dixit *Synodum diœceſanam* eſſe ſuo Epiſcopo ſuperiorem. Eccleſia, ſapiens & provida mater, per ſuos Canones, ſignanter per Antiochenos XIV. & XV. per Sardicenſes lil. IV. & VII. & alios plures declaravit, *provincialem Synodum* eſſe cujusque Epiſcopi immediatum ſuperiorem ac judicem. Sola ignorantia Canonum nonnullos Theologos ad tam abnormes conſequentias deducit.

VI. Eodem ſpiritu, eâdémque prudentiâ proſequitur Zaccaria *pag.* 108. inquiens: Ea eſt ſupremorum Principum conditio, ut ſui regni comitiis minimè ſubſint; ſi tamen Pontificem generali Concilio ſubjicimus, quid erit in Regibus, quominus regni Comitia judicare de illis poſſint? Audiamus, quid de hac etiam illatione doctiores, prudentiores & æquiores ſentiant. Inter hos imprimis Boſſuetus in *Defenſione Declar. Cleri Gall. Lib. X. Cap.* 28. Objiciunt, inquit, regnis ac Regibus periculoſam eſſe noſtram ſententiam. Si enim Spiritualis primus Pontifex Eccleſiæ & Concilio ſubſit, ſubeſſe multò magis regno ac generalibus regnorum Conventibus temporales Reges. Quo maximè argumento

in

in antiquam ſententiam Reges incitare conati ſunt. Sed Thomas Corcellæus id ab Eugenii Legatis objectum reſponſo edito coram regni Principibus, ipſóque Carolo VII. Rege ſic ſolvit: „ Nec ullatenus audiendi, qui ad alliciendos Re-
„ ges & Principes in contrarium auctoritatis Conciliorum di-
„ cunt, quòd ſi Concilia generalia poſſent corrigere & de-
„ ponere ſummos Pontifices, pari ratione, quòd populi ha-
„ berent corrigere & deponere Principes ſæculares. Qui
„ enim talia dicunt, manifeſtè auctoritatem Conciliorum, &
„ declarationem fidei ſuper hoc (*in Conſtantienſi Concilio*) factam
„ deſtruunt, non plus tribuentes auctoritatis ipſi Congregatio-
„ ni Eccleſiæ, quàm uni Communitati ſæculari, quæ non ha-
„ bet auctoritatem à Chriſto corrigendi aut puniendi Princi-
„ pem ſuum. Sed bene conſpiciant definitionem Concilii Con-
„ ſtantienſis: reperient in hoc magnam differentiam. Nam
„ ipſum Concilium Conſtantienſe reprobavit illum articulum
„ decimum ſeptimum inter articulos Joannis Huſſi conten-
„ tum, *quòd Principes debeant puniri ad arbitrium populi*: &
„ tamen alterum probavit, *quòd Concilium generale habet pote-
„ ſtatem immediatè à Chriſto &c.* Et hoc etiam apparet ex
„ Sacris Scripturis, cùm Chriſtus ipſe aſſignans differentiam
„ inter hoc & illud dicat: *Reges gentium dominantur eis, vos
„ autem non ſic.* Et B. Petrus in Canonica dicit de Paſto-
„ ribus, *non ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis.*
„ Doctores quoque lucidè declarant, quomodo Papa non eſt
„ dominus rerum Eccleſiæ, ſed Miniſter. Valde quoque ex-
„ traneum eſt & à veritate alienum dicere, quòd non plus
„ ſpiritualitatis reperiatur in Congregatione legitima Eccleſiæ,
„ quàm in una Communitate ſæculari &c.

Pergit illuſtriſſimus Boſſuetus: Quòd autem quidam etiam Pariſienſes aliud docuerunt, dum totus ferè orbis in ſumma Juris Publici ignorantia verſaretur. Nego omnes; nego hoc fulcimento nixos tribuiſſe Conciliis potiorem poteſtatem, nego Facultatem, nego Conſtantienſe Concilium peſſimis argumentis uſum. Nego, his detractis, ſententiæ veritati ac ſimilitudini

dini detractum eſſe quidquam. Quid, quòd alia ſuppetebant, quæ Thomas Corcellæus optimè enarravit, imò ùt idem Corcellæus demonſtravit, Sacrum illud Concilium, quo maximè ſupra Pontificem Conciliorum evecta eſt auctoritas, damnavit inſanam ſententiam, quæ Reges regnis ſubjiceret, non regna Regibus. Adeo conſtabat ratione diverſiſſimâ conſtitutas humanam ac divinam Civitatem. Itaque hæc, quæ creandæ invidiæ objiciuntur, omittamus. Eccleſiæ à Deo conſtitutæ regimen non ex mundani regni ratione, ſed ex Dei revelatione, atque ipſius Eccleſiæ Decretis ex Patrum traditione æſtimemus.

Plura jam & convincentia in præcedentibus Tomis Febronianis allata ſunt ad illuſtrandam hac in parte differentiam inter ſtatum Civilem & Eccleſiaſticum. Juvat nihilominus jam dictis adhuc ſubjungere obſervationes Claudii Fleury in Diſſert. *de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ pag.* 440. ita diſſerentis: „Alii „ qui Politici voluerunt infamiâ aſpergere hanc doctrinam de „ ſuperiorirate Concilii, comparantes Concilium cum genera„ libus regni Conventibus, quorum prætenſiones notum eſt „ eò ſpectâſſe, ut ſibi gubernandi auctoritatem minimè con„ venientem adrogarent. Et hinc potiſſimùm conflata invi„ dia eſt *Doctori Richerio*, qui Ligæ impenſiùs faverat, qui„ que revera longiùs provexerat prætenſam Ariſtocraticam „ in Eccleſia. Sed debéntne ex ſimplici comparatione tanta „ támque gravia decretoriè judicari? Ubi, quæſo, invenitur, „ Eccleſiam & Rempublicam regulis eisdem eſſe regendam? „ Quo in loco veteris aut novi Teſtamenti id Deus revela„ vit? Aliunde verò ſimilitudo inter Concilium Generale & „ Generales regni Conventus omnino in principio peccat: „ cùm regni Conventus nihil aliud umquam legitimè præ ſe „ tulerint, quàm modum quendam repræſentationis immediatè „ poſt Regem: contrà Concilium Generale in ſpritualibus „ auctoritate gaudeat legitimâ in omnes fideles.

Atque ex his colligitur, quàm inſipida, quàm futilia ſint, quæ ſcribit Zaccaria pag. 163. ſcilicet; *Ergo ſub Fratris nomi-*

ne

ne Matthæi verbis indicati non continentur Reges, æque licèt circumdati infirmitate, & peccato obnoxii; neque id abſonum Febronio videtur. Et mirabitur à nobis omnium Chriſtianorum Patrem & Doctorem, Romanum Pontificem correctionis præcepto ſubtrahi? At Reges ſuperiorem non habent, niſi Deum. Ita ſit, nec enim heic omnia expendere vacat. Sed nec Pontifex certè habet, vel ſi Pontifici ſuperiorem quempiam eſſe debere ais, quia ſub fratris nomine continetur, uti æque circumdatus infirmitate, & peccato obnoxius, dabis hanc mihi veniam, ut, quoniam Reges æque circumdati infirmitate, & peccatis obnoxii ſunt, ad eos quoque Evangelicæ correptionis præceptum pertinere affirmem.

VII. Ut ingenium hominis intimiùs noſcatur, unum non prætermittam. Scripſeram Tomo II. *in Addendis* pag. *618.* adversùs Colonienſem Doctorem Kauffmans (qui argumentum illud à verbo Chriſti ad Petrum, DIC ECCLESIÆ, de quo jam actum eſt, novitatis, & quidem hæreticæ, arguerat) jam ſæculo X. exeunte Silveſtrum P P. II. eo uſum eſſe in Epiſtola ad Seguinum Archiepiſcopum Senonenſem apud Bouchellum *Lib. II. Decretorum Eccleſiæ Gallicanæ pag. 319.* Quid ad hæc Zaccaria *pag. 160.*? Accipe ejus verba. „ Quod „ ad Silveſtrum attinet, ægrè adducor, ut de illo ſermonem „ inſtituam; id enim abſque Febronii dedecore me facere „ minimè poſſe intelligo. Deum bonum! *Silveſtrum* appel„ lare audet. ----- Quid magis ridiculum, quàm veluti *Sil„ veſtri II. Romani Pontificis* epiſtolam in medium adferre, „ quæ & à *Gerberto* nondum Pontifice, & iniquo aut potiùs „ furente in Joannem XV. animo perſcripta ſit? ----- Quæſo „ ab *Addendis* deinceps Febronius abſtineat. Diſſertatione „ prima, ubi de Cardinalis Cæſarini Palinodia agebamus, vi„ dimus, quàm ineptè *Pii II.* verba *in Addendis* intellecta ab „ eo fuerint: heic Archiepiſcopum, imò verò Pſeudo-Archi„ epiſcopum Remenſem in iiſdem *Addendis* habemus Romanæ „ Eccleſiæ Pontificatu decoratum quinque ferè aut ſex annis, „ antequam non Joanne ſolùm, à quo anno 995. fuerat deje-

 ctus,

„ ctus, ſed etiam Gregorio V. hujus ſucceſſore defuncto, „ ſummus Pontifex renuntiaretur. Iterum rogo, ſi nomini ſuo „ conſultum velit, deinceps ab *Addendis* abſtineat. „

Quis unquam vidit mimum in foro magis comicè ſuas merces vendentem? Scripſit Febronius *pro viris*, qui nôrunt Gerbertum Archiepiſcopum, nôrunt Papam, utrumque ſuo ævo doctiſſimum. Agebatur in illo *Febronii Addendo* non de ſtatu & qualitate ſcribentis, ſed de ſæculo, in quo ille argumento à præcepto Domini, DIC ECCLESIÆ, adversùs Rom. Pontificem uſus eſſet. Zaccaria econtra Dictatorem agens *inter pueros*, hos ſuâ fiſtulâ à vero objecto dimovere, & per hoc in ſuos laqueos, id eſt, in ſua præjudicia deducere ſtudet. Quis mihi vertat malè, ſi Proſperum Lambertinum citans, ſive in ſuo Opere *de Synodo diœceſana*, ſive in Libris *de Servorum Dei Beatificatione*, eum *Benedictum XIV. Pont. Max.* nomino, licèt hos ante Pontificatum jamtum edidiſſet, illud antè adornatum, in Pontificatu *furtim*, ùt ipſe ait, abſolviſſet.

Perſonam *Æneæ Sylvii* ab illa *Pii II.* Febronius ſollicitè diſtinxit duobus integris §§. *Tomo II. pag.* 463. *ſeqq.* & *Tomo III. pag.* 143. *ſeqq.* Hunc ampliorem tractatum videbatur exigere prætenſa illa mutatio animi Æneæ circa Concilii generalis ſuperioritatem, de qua porro legi meretur Ill. Boſſuetus *Lib. X. Cap.* 17. Similem mutationem in Gerberto quoad vim ſacrorum verborum, *Dic Eccleſiæ*, nemo hactenus allegavit, & illi ſoli divinare poſſunt, quibus perſuaſum eſt à tiarâ capiti hominis impoſitâ ejus ingenium perverti.

Priusquam hunc Evangelii locum dimittam, illud paucis repetam, quod *Tomo II. Febr. pag.* 226. ex Gregorii M. Epiſt. 18. Lib. V. ad Joannem Conſtantinopolitanum Sanctus Pontifex ſcripſerat: *Ego quidquid facere humiliter debui, non omiſi; ſed ſi in mea correptione deſpicior, reſtat, ut Eccleſiam* DEBEAM *adhibere.* Unde inferebatur (& rectè quidem, ùt opinor) aliud eſſe tribunal *Papæ*, aliud *Eccleſiæ*, & hoc quidem illo ſuperius atque ultimatum. Quid ad hæc Jeſuita *pag.* 167.? Accipe: „ Quid heic *Eccleſiam adhibere*, niſi ipſa illius,

„ illius, quam ad eum (Joannem) dabat, epiſtolæ ſcriptio, poſt-
„ quam per reſponſales illum quaſi privatim ex Chriſti præ-
„ cepto ſemel atque iterum monuiſſet? Ubi nempe primò
„ per unum ex ſuis reſponſalibus corripuerat, illud Chriſti
„ impleverat: *Vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum.*
„ Nihil correptio profecit? ſecundò per alios reſponſales ad-
„ monuit, illud Chriſti ob oculos habens: *adhibe tecum adhuc unum*
„ *vel duos &c.* Ne hoc quidem frangendæ Joannis temeri-
„ tati ſatis fuit, *nunc*, inquit, *per me ipſum ſcribo*, idque eà
„ de cauſa ſe facere ait, quòd, *quia in mea correptione de-*
„ *ſpicior, reſtat ut Eccleſiam debeam adhibere*; ex Evangelico
„ igitur oraculo: *quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ*, adhi-
„ bebat Eccleſiam, dum per ſe ipſum ſcribebat ----- En
„ quòd ſuprà ajebam, Pontifices poſſe *dicere Eccleſiæ*, quin
„ tribunal à ſe diſtinctum, atque adeo ſuperius in Eccleſia eſſe
„ fateantur. „ Quàm acutè, quàm fideliter! ſcribit in me-
morata Epiſtola Gregorius a) *per deceſſorem ſuum Pelagium*
gravia jamtum eà de re ad Joannem *ſcripta tranſmiſſa eſſe.*
Addit b) ſe ipſum & *antè per alios Reſponſales ſuos* (id eſt
Nuntios) & *nunc* c) *per communem filium Sabinianum Diaco-*
num Joannem *alloqui*, *ut à tali ſe præſumptione compeſceret*,
non equidem ſcripto, *ſed nudo ſermone curaſſe.* Dein d) *ego*
itaque, ait, *per Reſponſales meos ſemel & bis verbis humilibus*
hoc, *quod in tota Eccleſia peccatur*, *corripere ſtudui*: *nunc per*
me ipſum ſcribo. *Quidquid facere humiliter debui*, *non omiſi.*
Poſtremo e) *Si in mea correptione deſpicior*, RESTAT, *ut*
Eccleſiam DEBEAM *adhibere.* Si igitur, poſtquam Pontifex
binis imò ternis & quaternis admonitionibus, tum per Epi-
ſtolas, tum per Nuntios factis, quæ ſui erant officii, ſuæ
auctoritatis, præſtiterat, ita ut in veritate dicere potuerit,
QUIDQUID *facere debui*, *non omiſi*; nihilominus aliud adhuc
reſtabat: manifeſtum eſt, eum de alia, poſt exhauſtam
ſuam, juriſdictione & tribunali locutum eſſe: & quodnam
illud? *Eccleſiæ*, inquit ipſe. Adhibuit certè Eccleſiam, quan-
do Epiſcopis Conſtantinopolim ad Synodum, ad quam eos

Imperator convocaverat, profecturis *Epiſt.* 68. *Lib. IX.* in mandatis dedit, *ut integros ſe ab hujusmodi venenata infectione cuſtodiant; ut pro æterni judicii conſideratione adversùs prava* Joannis *deſideria ſalubriter atque unanimiter ſe exhibeant, & paſtorali conſtantiâ atque apoſtolicâ auctoritate ſuffulti prædonem irruentémque lupum excludant, & in diſciſſionem Eccleſiæ ſævienti non cedant.* Inſcriptio Epiſtolæ eſt: „Gregorius Euſe-„ bio Theſſelanicenſi, Urbico Dirachino, Andreæ Nicapoli-„ tano, Johanni Corinthio, Joanni primæ Juſtinianæ, Jo-„ hanni Cretenſi, Johanni Lariſſeo & Scodritano, aliisque com-„ pluribus Epiſcopis.„

VIII. Ad rememorandum Eccleſiæ uſum *refricandi* in Conciliis ſummorum Pontificum Acta & Decreta, Febronius recenſuit, non latiùs deduxit, nonnulla hujus Diſciplinæ exempla. Scilicet 1.) Epiſtolam S. Leonis, quæ nonniſi facto in generali Synodo ſerio examine approbata eſt. 2.) Concilium Conſtantinopolitanum II. in quo Vigilii Papæ *Conſtitutum* refutatum fuit. 3.) Aliud Concilium Conſtantinopolitanum, Generale VI., quo inter hæreticos *Honorius* anathematizatus eſt. 4.) Concilium Lateranenſe anni 1112. quod ratione Epiſcopalis *Inveſtituræ* Paſchalem II. emendavit. 5.) Concilium Romanum anni 963. in quo Papa Joannes XII. fuit depoſitus. Demum 6.) Concilium Tridentinum, quod ſuam in Romanum Pontificem ſuperioritatem conſtanter ſuſtinuit. His P. Zaccaria Cap. 7. Diſſertationis IV. conatur reſpondere, ingenio & more ſuo, id eſt, *calumniis* & *injuriis.* Nos eum non ſequemur neque in re, neque in modo; illud unum volumus, ſuppoſitis etiam veris ejusdem adversùs præmiſſa exceptionibus, nihilominus conſtantem manere in Eccleſia diſciplinam *refricandi* in Conciliis decreta Pontificum. Scilicet ad 1.) agnoſcit *pag.* 193. à Leone Concilium poſtulatum fuiſſe; ut, ait, ſolemniore & efficaciore judicio Eutychetis ſociorúmque pervicacia frangeretur. Ad 2.) fatetur *pag.* 173. Patres V. Synodi Vigilii Conſtitutum improbâſſe? ſed id illos non jure feciſſe prætendit. Ad 3.) *pag.* 179. Honorium, ait;

ait, jam defunctum, adeoque, dum non amplius Pontifex eſſet, fuiſſe damnatum; Sed & vivum Papam propter hæreſim poſtulari poſſe. Ad 4.) *pag.* 185. dicit annitente & volente Papâ Paſchali à Concilio emendatum eſſe, de quohic cum Rege Henrico accedente juramento convenerat. Ad 5.) *pag.* 182. Synodum illam Romanam non fuiſſe generalem; proinde etiam ex illo capite Joannis depoſitionem non poſſe ſuſtineri tanquam legitimam aſſerit. Ad 6.) *pag.* 186. quæ Concilium Tridentinum circa Curiam Romanam reformavit, ea conſentiente & cooperante Papâ tanquam Capite Synodi conſtituta fuiſſe.

Dixi, *ſubſiſtentibus omnibus his aſſertionibus* adhuc prominere Conciliorum ſuprematum. Etenim illa etiam Concilia, quæ illegitimè & nulliter inquirunt & ſtatuunt de perſona, actis, doctrina, conſtitutionibus Romani Pontificis, documento ſunt, fidelibus fuiſſe & eſſe perſuaſum, Synodo quandam in illum ſuperioritatem ineſſe & poteſtatem. Idem multò magis obtinet in legitimis Conciliis, quibus ipſimet Pontifices aſſiſtunt & præſident; quandoquidem eo etiam caſu ſit & maneat diſtinctio inter Papam & Concilium, inter hujus & illius auctoritatem, quæ non à ſolo Pontifice eſt.

Interea multùm abeſt, ut viri doctiſſimi in ſententias, noſtris jam memoratis, adverſas cum Zaccaria concedant. Nobiſcum ſentiunt I. quoad Epiſtolam S. Leonis in Chalcedonenſi Synodo, non aliter quàm facto examine, comprobatam; & quòd ipſo Leone fatente Decretum Apoſtolicæ Sedis non niſi conſenſione Eccleſiarum irretractabile fiat, Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ. Tom. V. Sæc. V. art.* 13. *pag.* 74. *ſeqq.* Boſſuetus *Lib. XII. Cap.* 17. 18. II. quoad Conſtitutum Vigilii Papæ in Synodo generali quinta rigorosè & ipſo abſente examinatum, Baronius *ad an.* 553. Petrus de Marca *de C. S. & Imp. Lib. V. Cap.* 12. *n.* 10. Boſſuetus *cit. Lib. XII. Cap.* 20. III. circa damnationem Honorii in Synodo generali ſexta, quæ eſt Conſtantinopolitana tertia, Natalis *Tom. V. Diſſ.* 2. *in H. E. Sæculi VII.* Boſſuetus *eod. Lib. XII. Cap.* 21-28.

21-28. IV. de negotio Inveſtiturarum, Acta Conciliorum *Tom. X. pag. 767. edit. Labb.* Natalis *Tom. VI. Diſſert. 4. in ſæculum XI. & XII. art. 18.* V. Depoſitionem Joannis XII. nulliter factam fuiſſe nemo negat, attamen vel ipſa ſatis demonſtrat, communem tunc opinionem fuiſſe, Papam propter malos mores deponi poſſe. VI. Concilium Tridentinum ſpecialem conſiderationem poſtulat. Videatur interim de eo Boſſuetus *Lib. X. Cap. 18.*

IX. Vidimus Capite præcedente num. fin. qualiter Tridentini Patres Romano Pontifici nomen & qualitatem *univerſalis Epiſcopi* negaverint. Hoc reſpiciebat prætenſum jus illius Epiſcopale in *ſingulas Diœceſes.* Nunc indagabimus, quæ fuerit ejusdem Oecumenicæ Synodi ſententia de jure & habitu Pontificis relativè ad *univerſam Eccleſiam*, ſpectatam ùt Corpus. Hæc quæſtio cum illa non modicam habens affinitatem, cum eadem plerumque communiter in Synodo agitata ſimulque terminata fuit.

Refert Pallavicinus *Lib. XIX. Cap. 12. n. 10.* qualiter Româ Tridentum mandata ad Legatos Pontificis venerint, eò tendentia: „ Cùm admota eſſet manus ad formandos Canones de Hierarchia, cúmque à Lotharingo præter ſeptem „ jam paratos octavus fuiſſet propoſitus, quo declararetur, ùt „ rationi conſentaneum videbatur, Pontificis prærogativa; ne„ ceſſarium cenſeri, ut adderentur verba aliàs memorata, pe„ ne ad verbum exſcripta ex iis, quæ Florentina Synodus de„ finierat, ſine quibus ſententia manca & ambigua remanſiſſet. „ Curarunt idcirco Legati, ut Canon eo modo conficeretur. „ Et quamquam credendum eſſet, eos in tam æquâ petitio„ ne obſtaculum non offenſuros; tamen ſi fortè illud offen„ derent, ne propterea deſiſterent, ſed conatum omnem exer„ cerent ad illud ſuperandum, conſideratà intentionis æqui„ tate, atque honeſtâ ſpecie, quam excipiebat ab auctoritate „ tam ſancti venerandíque Concilii cujusmodi fuerat Floren„ tinum. „ Porro in Canone illo octavo, cujus modulum Roma miſerat, dicebatur, *Petri ſucceſſores ad hoc usque tempus habuiſſe*

habuiſſe jus Principatûs in Eccleſia, eos fuiſſe Patres, Paſtores, & Doctores omnium Chriſtianorum, ipſis fuiſſe traditum à Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem paſcendi, regendi & gubernandi ECCLESIAM UNIVERSALEM.

Verùm multùm abfuit, ut Tridentini Patres, præſertim Galli, conſiliis Romanorum, tum juribus Ordinis Epiſcopalis, tum univerſalis, Eccleſiæ noxiis obſecundarent. „ Lotharin-
„ gus (ſic Pallav. *l. cit. Cap.* 14. *n.* 2.) ægro animo pro-
„ pter contradicentium duritiam quam offenderat, in atrociſſi-
„ mas querimonias prorupit adversùs nonnullos Patres gene-
„ ratim, velle illos ob rationes humanas Religionem, Eccle-
„ ſiam, & ſummum Pontificatum perdere, cùm in cauſa eſ-
„ ſent, ut à Romano Pontifice ſecederet Gallia, & fortaſſe
„ cum Gallia, reliquæ Catholicorum Provinciæ: ex eo ſibi
„ extremum dolorem infligi, quando jam animadvertebat,
„ infructuoſos effluere labores immenſos à ſe ſuiſque fratribus
„ ſuſceptos ad regnum illud in obſequio Romanæ ſedis reti-
„ nendum - - - - - *Num.* 4. Tum Fererius (Orator Regis
„ Galliæ) quaſi pro certiſſimo poſuit, Concilium ſupra Ro-
„ manum Pontificem eſſe: Religionem & Eccleſiam Gallica-
„ nam non modò id ſentire, ſed profiteri, & jurejurando af-
„ firmare tamquam articulum neceſſarium; idque jure optimo
„ ex Conſtantienſis Concilii auctoritate. Præſcribi quidem
„ ſibi in mandatis regiis, ne hujusmodi controverſiam exci-
„ tarent; ſed ſimul, ne liberum ſinerent aditum cuilibet ver-
„ bo, quod illi ipſorum religioni opponeretur - - - - *Num.* 5.
„ Ad hæc primus Legatorum - - - - Si Oratores ſtudebant
„ ſuam opinionem tueri, Præſides ſtudere veritatem propu-
„ gnare, hoc eſt, Pontificem ſuperiorem eſſe Concilio &c. „

Pergit Pallavicinus *eod. Lib. XIX. Cap.* 16. *n.* 10. negotii decurſum ſequentibus memorare: „ Præſides in his, quæ
„ Oratores, & quæ antè Lotharingus ſignificarant, conſpica-
„ ti numquam flexibilem Gallorum repugnantiam recedendi
„ ab illa, prout ipſi appellabant, religione, acceptiſque antea
„ mandatis, quæ diximus, à Pontifice, ut ad tot mala evi-

tanda

„ tanda & concordiam componendam, mutationi illarum vo-
„ cum in alias univerſaliores aſſentirentur, aut etiam argu-
„ mentum illud omnino prætermitterent, non mediocriter
„ animis fluctuarunt ac vacillarunt. Tandem magis honoris
„ ſtudioſi, quàm quietis avidi, Romam reſcripſerunt: Se qui-
„ dem juſſis obtemperaturos: ita tamen, ut, quoniam res
„ agebatur magni momenti, & contraria conſilio majoris par-
„ tis Canonum Conſultorum, quippe quòd negabatur Ro-
„ mano Pontifici, *poſt diuturnam ac publicam litem*, id quod
„ jure ipſi debebatur, quódque præcipuè tribuebatur à Syno-
„ do Florentina; unde fieri poterat, ut decurſu temporis ea
„ de re Præſides inſimularentur, orarent Pontificem, ne gra-
„ varetur id ipſis per diploma diſertè imperare, in quo ap-
„ poneretur, id fieri pacis & concordiæ causâ. „ Aſt hoc petitum diploma non ſolùm à Pontifice Præſidibus negatum teſtatur Pallavicinus *Lib. XX. Cap. 3. n. 2.* ſed ex contrario renovato juſſu præſcriptum, ut de Pontificia auctoritate nihil minus aut minùs clarè diceretur, quàm dicunt Synodus Florentina, Concilia & Patres antiquiores. Quinimo adjecerat Papa, ſe præſtò eſſe ad tuendas ſui profuſione ſanguinis eas prærogativas Apoſtolicæ ſedis, quæ non doctrinâ ſolùm, ſed complurium Sanctorum ſanguine firmatæ fuerant.

Poſt hæc rursùs inter Theologos & Canoniſtas, à Pontificiis Legatis eum in finem convocatis, deliberatum ac laboratum fuit, ut inveniretur terminus medius, quo utrique partium ſatisfieret. Refert id Pallavicinus *Lib. XXI. Cap. 4. n. 12. 13.* ac dein *num. 14. & 15.* ſubjungit, qua ratione totum hoc negotium terminatum fuerit: eo ſcilicet modo, quem hujus Diſſertationis IV. Capite 2. num. 7. ubi de titulo, *Epiſcopus univerſalis*, agebatur, annuntiatum vidimus: hoc eſt, præcisâ omni ſpe, futurum, ut à Concilio in Papa agnoſcatur prætenſa illa qualitas *Rectoris Eccleſiæ univerſalis.* Et ſic *poſt diuturnam ac publicam litem* (uti ad Pontificem Legati perſcripſerant) ſtrepitoſa hæc cauſa peremptoriè exiit.

X. Poſt

X. Poſt hanc declarationem Patrum ac Synodi, qua noluerunt Papam recognoſcere neque ùt *Epiſcopum univerſalem*, neque ùt Rectorem *Eccleſiæ univerſalis*; id eſt, nec eum habere tanquam obtinentem jurisdictionem *Epiſcopalem* in ſingulis diœceſibus; nec ùt ſuperiorem *Corporis Eccleſiæ*, ſeu in generali Concilio unitæ; naturaliter ſequitur, illam expreſſionem Tridentini, quâ *Seſſ. XIV. de Pœnit. Cap.* 7. aſſeritur Pontifices max. *pro ſupremâ poteſtate ſibi in univerſa Eccleſia traditâ* potuiſſe aliquas cauſas graviorum criminum ſuo particulari judicio reſervare, & ſi quæ alia ſimilis fortè occurrat, non poſſe, inquam, vel debere has expreſſiones neque ad unam neque ad alteram harum qualitatum, à Concilio expreſsè negatarum, referri. Poteſt nihilominùs illis Tridentini verbis, citra præjudicium eorum, quæ jam probata ſunt, juſta ſignificatio aſſignari, etiamſi Papæ reſervatio in aliorum Diœceſibus ſine conſenſu propriorum Epiſcoporum effectu deſtituatur. Etenim vel ad hoc ipſum etiam nihil minùs quàm ſtatus & auctoritas *Primatis univerſalis* requirebatur, ut *ad univerſas Eccleſias* hæ reſervationes pertinerent, quod nulli alteri, etiamſi potentiſſimo Patriarchæ, potuiſſet convenire.

XI. Non putabam me dicturum quidquam de jure ſummi Pontificis in temporalia Regum, cujus doctrinæ Romanos pudere incipit. Non poſſum tamen ſilentio premere petulantiam noſtri Jeſuitæ Tomo II. ſui Antifebronii vindicati *pag.* 162. de Febronio ſcribentis: *Is ille eſt, qui omni Romanos Pontifices in temporalia Regum poteſtate ſpoliat.* Illo adhuc inſolentior eſt Nota, quam paginæ 387. Tom. I. ſubjungit. In ea, cùm Auctor noſter *Tomo II. pag.* 350. aſſeruiſſet, Gregorium VII. quaſi omnium principem & anteſignanum fuiſſe in tradendis & practicandis doctrinis de poteſtate Papæ transferendi regna & coronas, ille in hæc verba replicat: *Hoc Febronii dictum magnam ſui auctoris aut in mentiendo audaciam,*

aut inſcitiam arguit. Si illud mendacii aut inſcitiæ argumentum eſt, ergo mendaces aut ignorantes ſunt Natalis Alexander, Boſſuetus, Auctor Operis de Poteſtate Eccleſiaſtica & temporali anno 1768. ſub conſuetis cenſuris Venetiis editi, Antonius Pereria, & complures alii viri cæterà doctiſſimi. Inter hos Natalis Tom. VI. Differt. II. in Hiſt. ſæculi XI. & XII. hanc rubricam Articulo IX. præfigit: *Gregorius VII. Romanorum primus Pontificum ſibi Regum exauctorandorum tribuit poteſtatem, contra Patrum doctrinam, immo contra verbum Dei. Hæcque privati Doctoris opinio, non Apoſtolicæ Sedis definitio.* In Scholio eidem Articulo ſubjuncto Natalis addit: „ Quòd Romanorum primus Pontificum hanc auctori- „ tatem ſibi tribuerit Gregorius VII. teſtantur Otto Friſin- „ genſis, Sigebertus, Gotfridus Viterbienſis, Trithemius, „ Vincentius Bellovacenſis, Onuphrius Panvinus, quorum „ verba deſcripſi. Hæc mera facti quæſtio. „ In eandem rem ita ſcribit Boſſuetus Lib. VII. Cap. 3. *Cùm ſecutæ de Regibus deponendis ſententiæ ab eo Gregorii VII. decreto & exemplo tanquam ex fonte prodeant, de tota ejus decreti ratione quærendum eſt. Et quidem ab ipſo diſputationis initio præſtruximus ipſam rei novitatem, nullum exemplum, auctoritatem nullam hujus rei aggrediundæ præceſſiſſe &c.* Auctor Operis noviſſimi de Poteſtate Eccleſiaſtica & temporali pag. 73. *Jam eo temporis tandem devenimus, quo Reges & Imperatores deponere Romani Pontifices aggreſſi ſunt. Gregorium VII. primum fuiſſe, qui id ſe facere poſſe contenderit, ejúsque facimus tanquam omnino novum, & adhuc exemplo carens, ſpectatum fuiſſe, ſuprà oſtendimus.* In eodem argumento probando totus eſt Antonius Pereria Oliſiponenſis Theologus in erudita *Diſſertatione hiſtorica & theologica de Geſtis ac ſcriptis Gregorii Papæ VII. adversùs Henricum IV. Imp. an.* 1769. *Oliſipone.*

XII. Sed neque minùs diſplicet Zaccariæ *Tom. I. pag.* 388. quod ſcriptum legitur *Tomo II. Febr. pag.* 350. nempe hiſtoriam

riam Pontificatus Gregorii VII. ægrè conciliari poſſe cum idea ſanctitatis ad normam & ſpiritum Evangelii conformatæ. Sanè ſi Lectiones ſecundi Nocturni, quas pro feſto hujus ſancti Pontificis Benedictus XIII. præſcripſit, conformes ſunt Geſtis ejusdem ſancti, manifeſtum eſt, compluribus Monarchis, Epiſcopis, Magiſtratibus ac populis viſum fuiſſe, hæc cum lege Evangelii acerrimè pugnare. Ut de hujus rei veritate convincamur, juvabit hìc apponere brevi recitatione fata officii Canonici Gregorii VII. idque non noſtro ſtylo, ſed Antonii Pereriæ *in cit. Diſſert. pag.* 115. „ Gregorium „ VII. Sanctorum faſtis in Martyrologio Romano primus adſcripſit Gregorius XIII. anno 1584. cùm jam de excludendo è Gallici regni ſucceſſione Henrico Borbonico ageretur. Deinde Paulus V. famoſo cum Venetis diſſidio notiſſimus Pontifex, anno 1609. Salernitano Clero conceſſit proprio officio S. Gregorii memoriam celebrare. Centum ferè pòſt annis, hoc eſt anno 1705. Monachis Ciſtercienſibus; anno verò 1710. Benedictinis idem indulſit Clemens XI. rogatu Cardinalis Gabrielii, qui antea *Regaliæ* jura acerrimè impugnârat. Denique anno 1728., cùm Gregorium Papam VII. pro tota Eccleſia colendum decreviſſet Benedictus XIII. ejus juſſu Officium, quale nunc recitamus compoſuit Pater Tedeſchius Benedictinus, ſacræ Congregationis Rituum à Secretis, is qui ortâ diſcordiâ inter Papam & Imperatorem de Siciliæ Monarchia, ut Papæ cauſam ſecuriùs propugnaret, Romam ſe ex patria ſua Sicilia proripuerat.

„ Ubi primùm in Galliam acceſſit hoc Officium, incredibile dictu eſt, quantas ibi turbas dederit, quiritantibus Gallis, Sanctorum etiam Canonizatione abuti Romanos ad novas & immodicas prætenſiones ſuas confirmandas, ac religionis obtentu jura regia oppugnari. Illud inter cætera prorſus intolerandum videbatur, quod in fine Lectio-

„ nis ſecundæ habetur: *Contra Henrici Imperatoris impios*
„ *conatus fortis per omnia athleta impavidus permanſit, ſeque*
„ *pro muro domui Iſrael ponere non timuit*, *ac eundem Hen-*
„ *ricum in profundum malorum prolapſum fidelium communio-*
„ *ne regnóque privavit*, *atque ſubditos populos fide ei datâ li-*
„ *beravit.* Anno 1729. & ſequenti ſeveriſſimis Senatus-
„ conſultis in Officium illud, veluti in clandeſtinam & ſedi-
„ tioſam ſchedulam animadverterunt regii in Gallia Magi-
„ ſtratus Pariſiis, Metis, Redonibus & Burdigalæ. Nec
„ minùs ſtrenuè Epiſcopi Antiſſidiorenſis, Montispellienſis,
„ Metenſis, Nemauſenſis & Trecenſis. Pari indignatione
„ & ſtomacho idem officium exceptum eſt in Neapolitano
„ regno, utpote quod anno 1729. Caroli VI. Imperatoris
„ juſſu, anno verò 1741. Catholici Regis Decreto
„ confixum fuit.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO V.
DE CAUSIS MAJORIBUS PRÆSERTIM FIDEI.

CAPUT I.

De judicio Epiſcoporum in cauſis Fidei; & in quo illud à Papali differat. Duplex P. Zaccariæ falſum, & alia ejus abſurda notantur.

I.

De Cauſis Majoribus univerſim egit Febronius *Tom I. Cap. IV.* §. 1. nec non *Tom. III. pag.* 81. *ſeqq.* Ab eo argumento Diſſertationem quintam ſui Antifebronii Vindicati inchoat Zaccaria *Tom. II. pag.* 288. De illis prima nobis & generalior obſervatio eſt cum Joanne Gerbaſio *Diſſert. de Cauſ. Maj. Art. I. n.* 1. frequentem de iis ſermonem haberi, tum à doctis, tum ab indoctis hominibus, vix tamen aliquos reperiri, qui ſatis capiant, quid Majorum Cauſarum nomen ſibi velit, vel certè qui illud ſatis explicent. Ipſe Papa Innocentius I. Majorum Cauſarum primus nomenclator, dum circa annum Chriſti 404. in celebri illa Epiſtola ad Victricium Rothomagenſem ſic ſcribit: *Si autem Majores cauſæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem*

Apoſtolicam (*ſicut Synodus ſtatuit*) *poſt Epiſcopale judicium referantur*, imprimis non aperit, cujus generis ſint illæ cauſæ quas majores vocat; deinde non profert nomen illius Synodi, quam laudat, quæ ex eruditorum mente veroſimillimè Sardicenſis eſt; poſtremò non prætendit eas *immediatè* ad Sedem Apoſtolicam deferri, ſed demum *poſt Epiſcopale judicium*.

Altera obſervatio eſt, quòd qui ab Innocentio usque ad Leonem IX. ſedere Pontifices nonnullas etiam cauſas tanquam majores, ob rerum nempe vel difficultatem vel præſtantiam, Apoſtolicæ Sedi vindicarint, maximè vero Nicolaus I. qui fictis veterum Pontificum Epiſtolis, quæ paulò antè vulgatæ erant, imbutus fuit: Sed neque omnes æque diſertè locuti ſunt, neque ſinguli easdem cauſas, eisdémque notis deſignarunt.

Poſt hæc Leo IX. ab antiqua Majorum Cauſarum notitia apertiùs recedens, fictarúmque Decretalium jam tunc invaleſcentium ſecutus fidem de Majoribus Cauſis ſic ſentire viſus eſt, ut ab unius ſummi Pontificis arbitrio pendere illas exiſtimet; inprimis autem Epiſcoporum judicia. Sic quoque ſenſit Gregorius VII. Innocentius III. receptis eousque Majorum Cauſarum ſpeciebus Epiſcoporum Translationes ſuperaddidit. Alexander VI. Innocentio IV. duce Majoribus Cauſis etiam illas accenſuit, quæ in Epiſcoporum electionibus oriuntur. Bonifacius VIII. ſuperaddidit dationem Coadjutorum Epiſcoporum & ſuperiorum Prælatorum Hæc omnia latiùs proſecutus eſt & convenientibus probationibus munivit Gerbaſius *cit. Diſſert. toto Art.* 1.

Ex his apparet, *Tomo I. Febr. Cap. IV.* §. 4. bono jure traditum fuiſſe, quòd materia majorum Cauſarum à falſis Decretalibus plurimùm participet. Cùm verò etiam *Tomo II. pag.* 261. aſſereretur, Gregorii IV. Epiſtolam ad Galliæ & Germaniæ Epiſcopos de anno 835. fœtidas illas Iſidori merces non minùs *olere*; triumphans intercedit Jeſuita, nos *pag.* 290. docens, Iſidorianas Epiſtolas jam ante illum annum procuſas fuiſſe. Aſt non advortit ille, quod Febronius ſæpius mo-

monuit, & hic quoque Gerbaſius, quod denique eruditorum nullus ignorat, nempe, ſpiritum harum Epiſtolarum, poſtquam eæ ſemel tanquam genuinæ in Eccleſiam admiſſæ fuerant, ſubſequens ævum, ac præcipuè Pontificum Litteras adeo infeciſſe, ut vel hodie haud pauca Româ prodeant, quæ Iſidori ingenium *ſapiunt.* Tædet talia memorare; oportet tamen propter juniores, ne decipiantur.

Ex brevi hac Cauſarum Majorum hiſtoria, & ſucceſſivo ſingularum ortu, planè humano, manifeſtum eſt, eas per ſe & propriâ indole ad Apoſtolicam Sedem jure originario divino non pertinere. Obvenerunt eæ huic Sedi, ſeriùs, citiùs, prout hominum ingenia & rerum circumſtantiæ ferebant, tum ex cauſis laudabilibus, tum ex aliis minùs probandis. Ad has refero genium falſarum Decretalium, ſpiritum in Eccleſia dominandi, finaliter nudum ſummi Pontificis arbitrium, ſubinde Canonibus generalium Conciliorum adverſum, plerumque juribus Provincialium Synodorum, imò & ſingulorum Epiſcoporum derogans.

II. Officium & jus Primatis univerſalis Eccleſiæ regulari debet juxta illud, quod Viennenſis in Gallia Archiepiſcopus ſcripſit Epiſt. 36. *Scitis Synodalium legum eſſe, ut de rebus,* QUÆ AD ECCLESIÆ STATUM PERTINENT, *ſi quid dubitationis fuerit exortum, ad Romanæ Eccleſiæ maximum Sacerdotem, quaſi ad Caput noſtrum, membra ſequentia recurramus.* Adde ſuprà *Diſſert. IV. Cap.* 2. *n.* 5. Hoc juris divini eſt; non verò ut ad Rom. Pontificem deferantur judicia de particularibus cauſis Epiſcoporum; eorum Confirmationes, Depoſitiones, Translationes, Coadjutoriæ, quæ omnia & plura alia vigore antiquorum & ſincerorum Canonum, per plura ſæcula ſanctè ſervatorum, ad ipſorúmmet Epiſcoporum in Synodo congregatorum jurisdictionem ſpectant, nec dici poſſunt *ad univerſalis Eccleſiæ* STATUM *pertinere*; atque demum ſeriùs ex nudo plerumque arbitrio Pontificum non ſine aliorum præjudicio illis reſervata fuerunt.

Hæc

Hæc nos rectâ viâ ducunt ad graviores fidei quæſtiones & controverſias, præſertim ſi eæ non unius diœceſeos finibus circumſcribantur, ſed magnam Eccleſiæ partem concutere valeant. Has de genere earum rerum eſſe, *quæ ad Eccleſiæ ſtatum pertinent*, nemo dubitat. Qualiter in iis procedi debeat, accuratè definit S. Gregorius M. Lib. V. Epiſt. 53. nempe: *Si qua inquiſitio de fide vel fortaſſe aliarum rerum inter Epiſcopos cauſa emerſerit, quæ diſcerni difficiliùs poſſit, collectis duodecim Epiſcopis ventiletur atque* DECIDATUR. *Si autem decidi nequiverit, diſcuſſâ veritate ad noſtrum judicium deferatur.* Huic loco ſequentem Notam ſubjiciunt eruditi Editores San-Mauritani: „ Cauſas *fidei* majores appellant, eáſque ſummo Pontifici reſervandas contendunt nonnulli. Non ita cenſuit S. Gregorius, *niſi fortaſſe in partibus decidi nequiverint præ nimia difficultate.* Certè non niſi priùs inquiſitione factâ, & in partibus ventilatâ diſcuſſáque veritate, ad Sedem Apoſtolicam referuntur. „ In ſequenti Epiſtola 54. Sanctus Pontifex eâdem de re ad univerſos Epiſcopos Galliarum ſub regno Childeberti ſcribens his utitur vocibus: *Cujus vehemens fortaſſe ſit dubietas - - - - - examinatâ diligentiùs veritate.* Gregorio per omnia conſentit Vigilii PP. Epiſtola ad Auxanium Arelatenſem Epiſcopum apud Baronium *ad an.* 545. *n.* 4.

Secundùm hæc Febronius tradidit ſequentia, quæ nos contra adverſarium Jeſuitam ejúſque fallacias ſuſtinemus. 1.) judicium de Cauſis Fidei, etiam difficilioribus & vehementiùs agitatis, non eſt reſervatum ſummo Pontifici. 2.) Si tamen eæ Cauſæ abſolutè in partibus decidi non poſſint, ad Pontificem referendæ ſunt. 3.) Attamen eo etiam caſu coram Epiſcopis ventilandæ, & ab iis veritas diligentiùs examinanda eſt, priusquam Romam mittendas ſtatuatur. 4.) Quòd ſi etiam Cauſa in partibus decidatur, nihilominus, ſi talis ſit, ut aliis etiam Eccleſiis prodeſſe valeat, ad Papam tanquam ad Caput & Centrum unitatis dirigenda erit.

III.

III. Primam harum propoſitionum, etſi deforent alia, ſatis probat, uti jam vidimus, S. Gregorii M. auctoritas. Si enim Epiſcopi etiam poſſunt & debent difficiliores Fidei Cauſas ſuo judicio *definire*, non poſſunt illæ dici ſummo Pontifici eſſe reſervatæ. At enimverò non deſunt alia, eáque graviſſima fundamenta, quibus hoc Epiſcoporum jus ſolidatur. Expoſita ea fuerunt à Febronio *Tom. I. Cap.* 4. §. 2. *Tom. II. pag.* 262. *ſeqq. pag.* 401. *ſeqq. Tom. III. pag.* 60. *ſeqq.* neque ea hic repetam.

Cùm ille *cit. Tom. II. pag.* 401. memoràſſet, non unum *Petrum*, ſed omnes Apoſtolos à Chriſto ad prædicandum Evangelium miſſos, id juris & poteſtatis accepiſſe, ut veram fidem docerent, errores rejicerent, adeoque de ſana doctrina judicarent; atque hunc in finem ad SS. *Pauli, Petri & Joannis* Epiſtolas provocaſſet: Zaccaria *pag.* 297. nihil valens in contrarium proferre melius, uſus eſt verbis ſui Collegæ Doctoris Kauffmans, dicens: „ Singuli Diaconi Apoſtolici damnabant errores Evangelio & libertati Chriſtianæ contrarios, *nemo poterat reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui*, qui per eos *plenos Spiritu S. & ſapientiâ* loquebatur ..... Ut juris & poteſtatis exercitio differunt Diaconi noſtri temporis à Diaconis Apoſtolicis, ita Epiſcopi ab Apoſtolis differunt. „ Addit his arroganter Jeſuita: *Habétne Febronius quidquam quo ſe defendat?* Habet certè. Diſtinguenda omnino ſunt dona & privilegia *perſonalia* Apoſtolis & Apoſtolicis Diaconis conceſſa, à poteſtate *reali* eorum officio inhærente, quæ in ſucceſſores manavit, uti jam alibi à nobis obſervatum eſt. Ille Apoſtolicorum Diaconorum *ſpiritus ſapientiæ*, *cui nemo reſiſtere poterat*, perſonaliſſimus erat, neque unà cum facultate prædicandi & baptizandi ad noſtros Diaconos tranſiit. Sed nec quisquam hactenus dixit, primis etiam Diaconis jus fuiſſe de dubiis & controverſis quæſtionibus fidei *definiendi*; hoc Apoſtolorum erat, & qui eis ſucceſſerunt, Epiſcoporum. Sanè manifeſtum eſt, *Epiſcopalem* ordinem eſſe *Apoſtolicum*, & Epiſcopos Apoſtolis primis ſivè adlectos ſive ſuccedentes *vi ipſiúsmet Epiſcopatûs* Apoſtolorum primo-

primorum habitos eſſe Collegas & Succeſſores. Sic Actor. XIV. ỷ. 13. Paulus & *Barnabas Apoſtoli* dicuntur. Epaphroditus *Apoſtolus Philippenſium* dicitur ad Philip. II. ỷ. 25. Andronicus & Junias *inſignes inter Apoſtolos* ad Rom. XVI. ỷ. 7.

Sed inquiunt bini illi ex uno ore loquentes Adverſarii, verum non eſſe, quòd errores à ſingulis Apoſtolis ſeorſim fuerint damnati. Sic errabant Antiocheni, qui cum Chriſtiana lege Moſaicam tentabant componere; non tamen à duobus illis, quos mox nominabamus Apoſtolis *Paulo* & *Barnaba*, qui apud illos erant, damnati ſunt. Bene eſt: ſed nec à ſolo *Petro* damnati fuerunt; Hieroſolymam itum eſt, ubi Synodale judicium cauſam terminavit.

IV. Altera & Tertia propoſitio, quòd nempe eæ cauſæ Fidei, quæ ab Epiſcopis decidi non poſſunt, *diſcuſſa ſed non eliquatâ ab illis veritate*, ad Rom. Pontificem referendæ ſint, iterum per omnia conformis eſt Decreto Gregorii M. Verùm illud hic inquirendum, an hæ Relationes tales & tam ſimplices ſint, ut Epiſcopos à vero judicio & judicandi facultate excludant. Zaccaria *Tom. II. pag.* 302. Epiſcopis de *apertis* ſolùm & jam ante damnatis hæreſibus facultatem judicandi, id eſt, nudam Canonum adversùs hæreticos executionem concedit, in *dubiis* & controverſis Fidei quæſtionibus nudam eis ad Pontificem Relationem permittens. Et cum Febronius *Tom. II. pag.* 403. pro aſſerendâ ſuâ & Eccleſiæ Gallicanæ ſententiâ uſus fuiſſet exemplo eorum, quæ in negotio Janſenii à Clero Gallicano anno 1660. in comitiis generalibus Lutetiæ habitis acta ſunt; Jeſuita illum falſi inſimulat, tanquam qui partem Actorum ſubſtantialem tranſiiſſet. Nos, quid toto hoc in negotio geſtum ſit, referemus & explicabimus ad confuſionem Adverſarii verbis Jo. Gerbaſii *de Cauſis Majoribus pag.* 109. *ſeqq.* Hic, poſtquam integram Cleri hac de re Relationem ſeu Declarationem, cujus partem eſſentialem Zaccaria prætermittit, edidiſſet, ſic proſequitur: „Poſtquam ſic effata ſunt Eccleſiæ „ Gallicanæ oracula, nihil mihi niſi tacendum ſupereſt. Nam

paucis

„ paucis illis verbis omnia comprehenſa ſunt, quæ ſive ad
„ theſim, ſive ad hypotheſim attinebant.

„ Quæ ad Theſim quidem: ſignificatur enim ibi, Epiſcopis
„ datam à Deo eſſe poteſtatem judicandi fidei cauſas: *ils ſça-*
„ *voient que comme leur charge Paſtorale les engageoit à ce de-*
„ *voir, le S. Eſprit leur avoit donné le pouvoir ſur les matie-*
„ *res de Foy.* Tum explicantur fidei Cauſæ, quæ ab Epiſco-
„ pis judicari poſſunt, citra conſcientiam ſummi Pontificis,
„ nempe quæ vel apertam hæreſim continent, vel certe de
„ quibus periti & ſapientes ambigunt: *qui ſont ou manifeſte-*
„ *ment heretiques, ou miſes en doute parmy les ſçavants.* Ter-
„ tiò prioris generis cauſæ, utpote ad ſolam executionem ſpe-
„ ctantes, juris eſſe cenſentur ſingulorum Epiſcoporum: po-
„ ſterioris verò in Conciliis provincialibus aut Nationalibus
„ dicuntur agitandæ: *Celles du premier genre ne conſiſtent qu'en*
„ *l'execution & au châtiment de ceux qui enſeignent ces doctri-*
„ *nes, qui ont deja été condamnées, & partant ils ſçavoient*
„ *que chaque Evêque peut l'ordonner dans ſon Dioceſe contre les*
„ *coupables. Mais pour le regard des jugemens qu'il faut don-*
„ *ner* SUR UNE MATIERE MISE EN DISPUTE PAR-
„ MY LES SCAVANTS, *pour parler avec les anciens Theo-*
„ *logiens, ils n'ignoroient pas qu'afin que ces jugemens fuſſent*
„ *authoriſez, il étoit neceſſaire de les donner dans une Aſſem-*
„ *blée Canonique, ſoit d'un Concile Provincial, ou d'un Natio-*
„ *nal, ou bien dans une autre Aſſemblée compoſée d'un grand*
„ *nombre d'Evêques.* Quartò denique à Conciliis Provinciali-
„ bus aut Nationalibus relatio facienda edicitur ad ſummum
„ Pontificem, ut Apoſtolicæ Sedis authoritate error *quoque*
„ condemnetur: *d'où la relation étant envoyée enſuite au S.*
„ *Pere, l'erreur fut condamnée dans toute l'Egliſe par l'autorité*
„ *du S. Siege Apoſtolique, ainſi que les Conciles d'Afrique l'a-*
„ *voient pratiqué contre l'hereſie de Pelagius.* Quatuor iſtis Capiti-
„ bus quatuor veluti regulas generales tradit Clerus Gallicanus,
„ quæ uſurpari vulgò debeant in finiendis fidei controverſiis;
„ extra tamen Conciliorum Oecumenicorum neceſſitatem.

Digitized by Google

„ Quorſum autem in Janſenii cauſa viam aliam inive-
„ rint Epiſcopi Gallicani (quæ noſtra eſt hypotheſis) in ea-
„ dem quoque narratione pateſcit: primò quidem, quòd, ob
„ diſſidia quæ in multis Galliarum Provinciis tum exarſerant,
„ libera non erat Synodorum convocatio: *Les deſordres qui*
„ *étoient ſurvenus en ce temps-là dans diverſes Provinces de la*
„ *France, ôtérent le moyen aux Prelats de pouvoir tenir com-*
„ *modement les Conciles ou Aſſemblées de cette ſorte & l'eſpe-*
„ *rance de remedier aux maux par cette voye*: hinc enim ve-
„ ritatis defendendæ ſtudium viam Epiſcopis aliam aperuit,
„ quæ juxta antiquas Eccleſiarum tum Orientis, tum Occi-
„ dentis conſuetudines iniri debet temporibus difficilioribus.
„ Conſuluerunt nempe Innocentium X. per Epiſtolam, ro-
„ garúntque ſimul, ut ſigillatim de quinque propoſitionibus,
„ quæ Janſenii doctrinam veluti compendio continere vide-
„ bantur, ſententiam ferret: *Leur zele leur en ouvrit une autre,*
„ *conforme à l'ancien uſage des Egliſes d'Occident & d'Orient*;
„ *laquelle eſt neceſſaire dans les temps difficiles, qui troublent*
„ *la liberté de l'aſſemblée des Conciles dans les Provinces. Ces*
„ *Prelats dreſſérent une lettre de conſultation addreſſée au Pa-*
„ *pe &c.* Secundò ita præſertim agendum cenſuerunt hac in
„ ſpecie Galliarum Epiſcopi, quia in dubium vocabatur ſen-
„ ſus Decretorum quorumdam Concilii Tridentini: quorum
„ quidem interpretatio Apoſtolicæ Sedi reſervata eſt: *Ils ju-*
„ *gerent que cette pratique devoit être particulierement obſervée*
„ *en cette matiére, où il s'agiſſoit de l'interpretation des De-*
„ *crets du Concile de Trente qui l'a reſervée au S. Siege.* Ter-
„ tiam quoque rationem afferunt Galliæ Epiſcopi ea in Epi-
„ ſtola, qua Innocentium X. conſuluere, ſcilicet quòd Apo-
„ ſtolicæ Sedi *Reverendus ipſe Janſenius morti proximus opus*
„ *ſuum ſubjecerat.*

Totam hanc hypotheſim, quæ totidem verbis in eadem Gallica Relatione, *Relation des deliberations du Clergé de France &c.* qua Zaccaria uſus eſt, cujúſque ille *pag.* 305. tale, quale ipſi

ipſi viſum eſt, fragmentum dedit, continetur, quæque exceptionem à regula formar, doloſus Jeſuita ſilentio preſſit.

Sed pergamus cum Gerbaſio *pag.* 108. „ Ne Romani „ forſan ex hoc facto jus ſibi aliquod arrogarent, ſtatutum „ eſt ab Epiſcopis Gallicanis, ut in Epiſtola, quæ ad Innocentium de accepta ejus Conſtitutione ſcriberetur, apponeretur clauſula, quæ Epiſcoporum jurisdictionem in fidei „ rebus cognoſcendis integram præſtaret. *Il fut auſſi arrêté „ que l'on mettroit dans la lettre une clauſe qui conſervât aux „ Evêques de France le droit de juger en premiere inſtance des „ matieres de foy, lorsqu'il leur ſembleroit utile pour la Religion, ſoit en executant les peines de Droit contre les heretiques manifeſtes, ſoit en decidant dans une Aſſemblée* LES „ CHOSES DOUTEUSES. Ita enim legitur in relatione, „ quæ à Clero Gallicano hac de re compoſita eſt. In ipſa „ tamen Epiſtola, poſtquam ſignificarunt Epiſcopi, agnoſcere „ ſe lata judicia à ſummis Pontificibus ſuper conſultationibus „ Epiſcoporum, clauſula hæc adhibita eſt: *ſive ſuam in actis „ relationis ſententiam ponant, ſive omittant, prout illis collibuerit.*

„ Obſervo præterea, cùm Epiſcopi Gallicani reverentiam ſuam erga Sedem Apoſtolicam teſtati ſunt in acceptanda Innocentii X. Conſtitutione, id non cœca aut ſervili „ quadam ratione factitatum; ſed ne tum quidem depoſitam „ ab eis fuiſſe judicum perſonam, ac dignitatem. Sic enim „ habet laudata narratio: *L'affaire miſe en deliberation, il fut „ arrêté que l'on déclaroit* PAR VOYE DE JUGEMENT, „ *ſur les pieces produites de part & d'autre, que la Conſtitution „ avoit condamné les cinq propoſitions, comme étant de Janſenius, & que le Pape ſeroit informé de ce* JUGEMENT *de „ l'Aſſemblée par la lettre qu'elle écriroit à ſa Sainteté.*

„ Concludere itaque jam licet (*ita pergit Gerbaſius*) è „ multiplicibus illis factis, quæ hactenus retulimus, retentam „ eſſe ſemper ab Epiſcopis Gallicanis vim ac poteſtatem juris „ dicendi in fidei controverſiis; eâ verò uſos eſſe, modò qui-

„ dem judicando ante relationem ullam ad Summum Ponti-
„ ficem; modò referendo ad Sedem Apoſtolicam ante judi-
„ cium; modò denique poſt judicium latum referendo; uti
„ nempe rerum vel etiam temporum conditio varia aut fere-
„ bat, aut poſtulabat.

Vides hinc, quid in cauſa particulari Janſeniana ex ſpecialibus motivis, cum expreſſa reſervatione juris Epiſcoporum, egerint Epiſcopi Galliæ. Vides, qualiter hi non ſinant ſibi eripi cognitionem & deciſionem in iis etiam fidei dubiis, de quibus inter ſe Theologi contendunt. Vides, quomodo juxta decretum S. Gregorii M. ſi cauſa intricatior ſit, ad illius diſcuſſionem & ferendum de ea judicium, plures in Synodo congregentur. Vides denique, quòd ſibi liberum putent, vel pro illâ vice juri ſuo primæ inſtantiæ gravibus de cauſis renuntiare & rem ſimpliciter ad cognitionem ſummi Pontificis remittere, vel poſt ſuam Epiſcopalem deciſionem eam ad Papam dirigere, ut hic Apoſtolicæ Sedis auctoritate errorem jam proſcriptum *quoque* condemnet, aut condemnatum aliis etiam Eccleſiis vel omnibus denunciet.

V. Tradit Gerſon Tractatu de Examinatione doctrinarum *Opp. Tom. I. col.* 10. „ quòd doctrinæ habentes pro ſe Do-
„ ctores cum rationibus ad utramque partem probabilibus,
„ nec in una tantùm diœceſi, vel paucis, ſed *apud omnes*
„ *Chriſtianos*, *aut longè plurimos*, meritò dicantur Majores
„ Cauſæ fidei *propter difficultatem deciſionis cum periculo ſcan-*
„ *dali*: ideo illas eſſe ad Sedem Eccleſiæ, vel ad Sedentem
„ in ea referendas. „ Hoc totum verum eſt, ſed extra caſus hactenus propoſitos. Sanè ubi apud *omnes* Chriſtianos, aut *longè plurimos* quæſtio in utramque partem probabilis ventilaretur, temerarium foret, & propter metum ſciſſionis à periculo ſcandali minimè vacuum, ſi unius Provinciæ Epiſcopi, cum aliorum præteritione, talem quæſtionem decidere præſumerent. Itaque eo caſu judex omnium communis adeundus eſt; qui tamen nihil temerè ſtatuet, ſed ſaltem iis mediis utetur, quæ *Tom. II. Febr. Cap. III.* §. 10. *n.* 3. ſuggeſta ſunt.

Hunc

Hunc Gerſonianum caſum *neceſſariò* ad Sedem Apoſtolicam referri debere, nemo prudens dubitabit. Sed cum eo minimè confundi debet ille frequentior, de quo ſuprà *num.* 2. cum S. Gregorio M. locuti ſumus: quando ſcilicet duodecim Epiſcopi congregati de deciſione quæſtionis fidei in Provincia enatæ inter ſe convenire non poſſunt; hoc caſu cauſa jam ab Epiſcopis diſcuſſa eſt, & ſi ii inter ſe potuiſſent convenire, eam quoque decidiſſent; ſecùs ac in priore, ubi cauſa immediatè ad Papam deferenda, omni titulo à Gerſone *Cauſa Major* nominatur, tanquam revera tangens *Statum Eccleſiæ.*

Verùm quid faciet Papa tam in una quàm in altera harum occurrentiarum? An ſolus de ea pronuntiabit veritate, quam duodecim Epiſcopi prævià ventilatione ac diſcuſſione non potuerunt invenire? At hoc non omni præſumptione ac temeritate vacare videretur. Rectiùs igitur Pontifex, cùm tales cauſæ ad ipſum delatæ fuerint, probè ac mature diſpiciet, num de controverſia ita à ſe edici valeat, ut aſſenſum Eccleſiæ ſibi poſſit appromittere; an verò magis pro finali definitione totius Eccleſiæ Synodum debeat convocare. Vid. *Tom. III. Febr. pag.* 343.

VI. Poſt hæc diſquirendum, quæ vis, quis effectus utriusque judicii *Papalis* & *Epiſcopalis* in Cauſa Fidei. Dixit Febronius *Tom. I. Cap. II.* §. 4. *n.* 4. quòd, quamquam Pontificis definitiones de fide ac moribus non ſint omnino irrefragabiles, ſint tamen magni apud omnes momenti, ſoleántque ſingulæ privatim Eccleſiæ ſingularem eis reverentiam præſtare, adeo ut *proviſoriè* illis obſequendum ſit, ſaltem, ùt ait Gerſo, *ad non dogmatizandum contrarium*, quamdiu Eccleſia non reclamat.

Cavillatur iterum Zaccaria *Tom. II. pag.* 386. ajens, Febronium videri contentum *obſequio illo externo*, quod impediat, ne dogmatizetur contrarium; hic eum non ſolùm à Gallicanis Præſulibus, qui *obſequium interius*, *captivatúmque intellectum in obſequium Chriſti* requirunt, recedere, ſed præterea ad *Janſenianos obſequioſi ſilentii adſertores* proximè accedere. Demum inquit: Si nemini particulari liceat dogma-

dogmatizare contra definitiones Apoſtolicas, *quamdiu Eccleſia non reclamat*, adeo ut *proviſoriè* illis *obſequendum* ſit; quomodo fieri poteſt, ut aliquando reclamet Eccleſia? Numquam, ait, id eveniet, niſi quidam in particulari ante contradictionem Eccleſiæ incipiat ſe ſe opponere, & contra editam definitionem aliquid *declarare* contra Superioris ſententiam, quod particularibus ſaltem illicitum eſſe adverſarii negare non poſſunt.

Quàm hæc ſunt infirma! Galliæ Præſules captivatum in obſequium fidei intellectum meritò poſtulant, cumprimùm ad declarationem Pontificis Eccleſiæ conſenſus acceſſerit; tunc etenim obſequioſum ſilentium minimè ſufficit. At in eo caſu modò non ſumus. Damnationem quinque propoſitionum Janſenianarum Eccleſia receperat, cùm quidam prætenſo illo obſequioſo ſilentio ſuam erga Eccleſiam rebellionem tegere prætendebant. Cæterùm aliud eſt adversùs editam Pontificis definitionem ſe ſe loco & tempore opportuno *declarare*, quod Epiſcoporum eſt pro ſuis reſpectivè Eccleſiis loquentium, & de rebus Fidei cum ſuis Collegiis correferentium; aliud Gerſonianum illud *dogmatizare*, quod fit ad populum.

Interim *proviſoria* illa Pontificiæ definitionis *vis*, acceptationem Eccleſiæ præcedens, per omnes Eccleſias protenditur, tanquam procedens ab eo, qui habet vigore ſui Primatus jus univerſale, quanquam non ultimatum, de rebus fidei cognoſcendi. Hoc eſt quod Epiſcopi Galliæ in ſolemni conventu an. 1682. declararunt: *In fidei quæſtionibus* PRÆCIPUAS *ſummi Pontificis eſſe* PARTES, *ejúſque Decreta ad* OMNES *&* *ſingulas Eccleſias pertinere, nec tamen* IRREFORMABILE *eſſe judicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.* In eo autem à *Pontificio* fidei Decreto differt *Epiſcopale*, quòd hoc *per ſe* ad *particulares* tantùm Eccleſias pertineat, & ſolos definientis Epiſcopi diœceſanos liget.

VII. Attamen, ſi Hiſtoriam & Diſciplinam Eccleſiæ propiùs ſpectemus, videbimus Epiſcopalium judiciorum fructum communiter ſe ad alias quoque, imò omnes Eccleſias diffundentem. Si qua hæreſis vel ſuſpecta doctrina emergeret, Epi-

Epiſcopi erant, qui ſuis in Synodis & hæreſim condemnabant, & hæreticos ad palinodiam compellebant. Ita cum Sabellio & Ario egêre Epiſcopi Ægyptii: ita cum Eutyche & Severo Thracii: ita cum Priſcilliano Hiſpani. Notum eſt illud S. Auguſtini Lib. IV. ad Bonifacium Cap. 12. *Numquid Congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? quaſi nulla hæreſis aliquando, niſi Synodi congregatione damnata ſit; cùm potiùs rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit, multòque ſint incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt, atque inde per cæteras terras evitandæ innoteſcere potuerunt.* In hunc Auguſtini locum Magnus ille Boſſuetus Lib. XIV. Cap. 1. „ Perpendant, inquit, illud: „ *ubi exierunt, illic &c.* atque illud: *illic evitandæ &c.* nullâ „ gravioris à Romana Sede cenſuræ mentione. Neque enim „ Eccleſiæ talem ſententiam exſpectârunt, ut Manichæos, „ Ophitas, Collyrdianos, Tertullianiſtas, aliáſque Sectas aut „ horrerent, aut contemnerent.„ Et hoc idem eſt, quod idem Boſſuetus paulò antè monuerat: „ Ut ſine Conciliis „ œcumenicis, ita ſine ſpeciali Romani Pontificis definitione „ damnatas atque extinctas fuiſſe has & alias hæreſes. ----- „ Ergóne, addit, ſingulares Eccleſiæ, à quibus ſtatim rejectæ aut etiam oppreſſæ ſunt, ineluctabili auctoritate gaudebant? Minimè.„ Sanè prioribus illis ſæculis nemo auſus fuit declinare vel eludere vim horum judiciorum Epiſcopalium eo ſolo prætextu, quòd judicia illa non eſſent infallibilia.

Digna ſunt, quæ ad confirmandum jam dicta & ea illuſtrandum huc referantur verba Lud. Thomaſſini in *Diſſert. in Synodum Gangrenſem ad calcem Tomi III. Theol. Dogm. pag. 33.* „ Quis umquam hæreticorum Concilia Epiſcopalia hoc ſolo „ nomine eluſit, quòd diceret, non eſſe infallibilis auctoritatis? Quando ita argumentati ſunt Novatus, Pelagius, Arius, „ & tot alii hæretici, quos Epiſcopi in provinciis damnârunt? Nemo hoc effugio uſus eſt. Omnes vel obreptum „ Epiſcopis, vel ſibi calumnias inflictas, vel alias cauſationes,

 qui-

„ quibus non particulares ſolùm, ſed Generales etiam Synodos „ ludificari ſolebant, protulerunt, vel exerto ore & hæreticâ „ petulantiâ reclamârunt. Non quærebatur illis temporibus, „ quænam Epiſcoporum Concilia errori obnoxia, quænam „ certæ veritatis eſſent. Omnes omnia colebant, omnia ve- „ nerabantur, ùt Paſtorum vocem; ùt Magiſtrorum Eccle- „ ſiæ doctrinam; ùt eorum quibus dictum eſſet, Qui vos „ audit me audit. Itaque Priſcillianam doctrinam, poſtquam „ à Synodo Cæſaraugustana damnata eſt; Origeniſtarum, „ poſtquam ab Alexandrina; Eutychianam, poſtquam à Con- „ ſtantinopolitana ſub Flaviano habitâ; Arianam, poſtquam „ ab Alexandrina, ut alias prætercam; nemo Catholicus hæ- „ reſes eſſe negavit, earúmque ſuſceptores hæreticos, etiam „ ſi ſolis Epiſcoporum Provincialium judiciis damnati eſſent. „ Quod egregiè confirmat Hieronymus in Epiſt. ad Pamma- „ chium &c. „

VIII. Quantùm ab his diſtat doctrina Zaccariæ! Is poſt- quam ei objectum fuiſſet, quaſi tradidiſſet, judicium Epiſcopi circa res fidei nec in foro interno, nec in externo obligare, ſic ſe purgat *pag.* 296. „ Ubinam generatim dixi, *judicium Epi- „ ſcopi circa res fidei nec in interno, nec in externo foro obli- „ gare?* Hoc ego adſerui de judicio Epiſcopi circa eas *tan- „ tummodo* res fidei, de quibus inter doctos viros, num hæ- „ reſis aut erroris notam mererentur, controverſia eſſet, an- „ tequam Romanus Pontifex, ad quem Epiſcopus de ſubor- „ ta fidei quæſtione retuliſſet, ſententiam ferret. Ac de foro „ quidem *interno* res eſt explorata; numquid enim adſentiri „ cogerer Epiſcopi judicio, ut, niſi facerem, peccati reus eſ- „ ſem?

Ne verò à ſtatu quæſtionis aberremus, ſolicitiè monet iterum ille *pag.* 299. „ Quid verò ſi detecti errores gravi- „ bus videantur rationibus fulciri, atque inter Doctores, ſint- „ ne damnandi, magna inter utramque partem contentione „ diſputetur? Hoc (rectè teneat *Febronius*) hoc unum eſt, „ quod in controverſiam cadit.

Lon-

Longiùs in hac materia progrediens Jeſuita ſic ſcribit *pag.* 302. „Exempla, quæ Febronius Tom. II. pag. 401. ſeqq. „ profert, ad rem non faciunt. Nam vel judiciorum ſunt, „ quibus Epiſcopi apertas atque adeo jam reprobatas hæreſes „ proſcripſerunt, vel judiciorum, quorum relatio STATIM „ ad ipſam Romanam Sedem miſſa eſt, ut ab ea confirma-„ rentur, vel etiam judiciorum, quæ Apoſtolicâ auctoritate „ (quod tamen Febronius diſſimulat) edita omnino fuerunt. „

Conferant hæc viri docti & æqui cum illis hæreſibus, quas num. præced. *ſolo Epiſcopali judicio* ſuppreſſas vidimus ex Boſſueto & Thomaſſino, & ſtatuant, an omnes & ſingulæ ad aliquam earum ſpecierum, quas Zaccaria enumerat, referri debeant; an non omnes hæ damnationes plus participent ab auctoritate *Epiſcopali*, quàm *Papali.*

Illud amplius & intolerabilius eſt, quòd Jeſuita ad hoc, ut Epiſcopalis cenſura de nova hæreſi liget in foro, ſive interno, ſive externo, poſtulet, ut relatio de hoc Epiſcopi judicio STATIM mittatur Romam, & pro ejus confirmatione inſtetur; hoc ſi *ſtatim* non fiat,, concidit obligatio, ſi qua fuit, ſe in uno & altero foro ſubmittendi decreto Epiſcopi. Quis Epiſcoporum jam nominatas damnans hæreſes, *ſtatim* ſcripſit Romam, ut ſui judicii inde confirmationem obtineret? Finaliter quis Epiſcoporum in ſua diœceſi ferat homines ſe non ſubmittentes ei, qui à Deo accepit poteſtatem *arguendi eos, qui contradicunt, depoſitum cuſtodiendi, & profanas vocum novitates proferentem corrigendi, demum hæreticum hominem poſt unum alterámve correctionem devitandi?*

IX. Ut abſurdum talium profanarum novitatum oculis Lectorum diſtinctiùs objiciatur, damus hîc Catalogum, non quidem completum, attamen ſatis amplum, *Epiſcopalium* Mandatorum, quibus hoc & ſuperiore ſæculo doctrinæ *Jeſuitarum* (cum quibus nobis principaliùs negotium eſt, de aliis nunc non loquor) præcipuè in materia morum damnatæ ſunt, cui in fine paucas reflexiones ſubjiciemus.

Decretum Henrici Ludovici Caſtagnier de la Rochepozay Epiſcopi Pictavienſis de 23. Maji 1620.

Comitia Cleri Gallicani Pariſiis congregata 10. Febr. 1631. damnant Libros Jeſuitarum Anglorum, ùt qui propoſitiones à recta fide alienas contineant.

Cenſura Joannis Franciſci de Gondi Archiepiſcopi Pariſienſis & ejus Mandatum de 30. Jan. 1631.

Decretum Ludovici Henrici de Gondrin Archiepiſcopi Senonenſis de 4. Maji an. 1650.

Cenſura Concilii Provincialis Senonenſis de moribus & doctrina Jeſuitarum de 7. Maji 1650.

Reſponſa Epiſcoporum Sagienſis, Graſſenſis, Lemovicenſis, S. Flori, Aquenſis, & Cabillonenſis de annis reſpectivè 1650. & 1651. ad Epiſtolam Circularem Conventûs Cleri Gallicani.

Cenſura Joannis Franciſci de Gondi archiep. Pariſienſis de 29. Decembris 1651.

Littera Paſtoralis Archiep. Senonenſis de 8. Febr. 1652. & ejusdem Mandatum de 25. Jan. 1653.

Decretum Alphonſi del'Bene Ep. Aurelianenſis de 9. Septembris 1656.

Cenſura Ludovici de Rechignevoiſin de Guron Epiſcopi Tutelenſis de 18. Aprilis 1658.

Cenſura Alphonſi Ep. Aurelianenſis de 4. Junii 1658.

Cenſura & Mandatum Vicariorum Generalium Card. de Retz Archiepiſcopi Pariſien. de 23. Aug. & 27. Novemb. 1658.

Mandatum & Cenſura Ludovici Henrici Archiep. Senonenſis de 3. & 4. Septembris ejusd. anni.

Cenſura Euſtachii de Chery Epiſcopi Nivernenſis de 8. Novemb. 1658.

Plures aliæ ſimiles Cenſuræ & Ordinata ejusdem & Sequentis anni Archi- & Epiſcoporum Andegavenſis, Bellovacenſis, Cadurcenſis, Rothomagenſis, Eburovicenſis, Bituricenſis, Lexovicenſis, Catalaunenſis, Vencienſis, Dinienſis, Sueſſionenſis & Senonenſis.

Cen-

Cenſura doctrinæ Jeſuitarum in Synodis Provincialibus Rothomagenſi & Senonenſi de 15. Aprilis & 11. Maji 1660.

Epiſtola circularis Franciſci Stephani de Caulet Epiſcopi Apamienſis de 21. Febr. 1668.

Cenſura Guidonis de Rochechouart Epiſcopi Atrebatenſis de 7. Novembr. 1675.

Epiſtola Caroli Bruslart de Senlis Archiepiſcopi Ebrodunenſis de 28. Junii 1686.

Mandatum Caroli Mauricii le Tellier Archiepiſcopi Remenſis de 15. Julii 1695. cum ſecuto ejusdem Archiep. Poſtulato ad Parlamentum Pariſienſe de 10. Jan. 1698. & actu ſubmiſſionis & ſatisfactionis de 23. ejusdem menſis, ſignato à Provinciali & Rectoribus trium domuum Jeſuitarum Pariſiis.

Inſtructio Paſtoralis Guidonis Epiſcopi Atrebatenſis de 5. Aug. 1695.

Littera Paſtoralis Jacobi Nicolai Colbert Archiepiſcopi Rothomagenſis de 28. Martii 1697. cum ſubſecuta pro parte Jeſuitarum, & 21. Aug. 1698. ab eis ſignata revocatione propoſitionum, quas publicè ſuſtinuerant.

Duæ Litteræ Paſtorales ſupramemorati Epiſcopi Atrebatenſis de 5. Maji & 7. Auguſti 1703.

Mandatum Vicariorum Generalium Archidiœceſis Turonenſis Sede vacante de 8. Auguſti 1716. Aliud eorundem Mandatum de 5. Junii 1717.

Bina Mandata Joannis Armandi de la Vove de Tourouvre Epiſcopi Ruthenenſis de 15. Martii & 19. Octobris 1722.

Inſtructiones Paſtorales Jacobi Benigni Boſſuet Epiſcopi Trecenſis de 1. Julii 1733. & 1. Febr. 1734.

Scriptum Joannis Joſephi Languet Archiepiſcopi Senonenſis ſub titulo, *Remarques ſur le Livre de Jean Pichon*, de menſe Junii 1747.

Litteræ Paſtorales Ludovici Jacobi de Chapt de Raſtignac Turonenſis Archiepiſcopi de 15. Decembris 1747. & 30. Januarii 1748.

Inſtructio Paſtoralis Armandi Bazin de Bezons, Epiſcopi Carcaſſonenſis de 3. Februarii 1748.

Epiſtola Chriſtophori de Beaumont Archiepiſcopi Pariſienſis ad Parochos & Confeſſarios Sæculares & Regulares ſuæ diœceſis de 8. Februarii 1748.

Epiſtola Petri de Guerin de Tencin, Cardinalis Archiepiſcopi Lugdunenſis ad Curatos & Confeſſarios Sæculares & Regulares ſuæ diœceſis de 11. Febr. d. an.

Inſtructio Paſtoralis Ludovici Jacobi Archiep. Turonenſis de 18. Febr. 1748.

Epiſtola Petri Mauclerc de la Muſanchere Epiſcopi Nannetenſis de 22. Februarii 1748. ad Curatos & Confeſſarios Sæculares & Regulares ſuæ diœceſis.

Mandatum Scipionis Hieronymi Begon Epiſcopi Tullenſis de 17. Aprilis 1748.

Paſtoralis Inſtructio Armandi Gaſtonis Cardinalis de Rohan Epiſcopi Argentoratenſis de 10. Junii 1748.

Inſtructiones Paſtorales & Mandata Ludovici Antonii Archiep. Turonenſis de 23. Febr. & 15. Novemb. 1749.

Littera Paſtoralis Joannis Franciſci de Montillet Archiepiſcopi Auſcienſis de 12. Febr. 1754.

Ordinata Samuelis Guillielmi de Verthamon Epiſcopi Lucionenſis de 5. Febr. & 21. Octobris 1756.

Mandatum Joſephi Cardinalis de Atalaya Patriarchæ Uliſipponenſis de 7. Junii 1758.

Mandatum Franciſci Alexii de Miranda Henriquez Epiſcopi de Miranda in Luſitania de 26. Februarii 1759.

Decretum cum Inſtructione Paſtorali Franciſci Ducis de Fitz-james Sueſſionenſis Epiſcopi de 1. Auguſti 1759. contra libros PP. Harduini & Berruyer S. J.

Littera Paſtoralis Franciſci de Saldanha Cardinalis Patriarchæ Uliſipponenſis de 5. Octobris 1759. &c.

Poſt hæc ex P. Zaccaria quæro ſequentia: 1.) An apertam ſemper hæreſim tradiderint Jeſuitæ, quorum doctrinæ ſic ab Epiſcopis damnatæ ſunt. 2.) An Epiſcopi, & quinam ex

ex eis, judicii ſui damnatorii confirmationem *ſtatim* à Romana ſede petierint. 3.) Quid Epiſcopi, quid quilibet prudens cogitare de viris illis debeat, qui in neutro foro vellent, ne *proviſoriè* quidem, ſe ſubmittere judicio & cenſuræ Epiſcopali, niſi inſimul cauſa Romam mittatur, & ibidem pro approbatione ejusdem inſtetur, & inde finalis deciſio exſpectetur. 4.) An non, ſicut antiquioribus exemplis probatur jus Epiſcoporum de cauſis fidei cognoſcendi, ita & his recentioribus, quæ modò memoravimus, firmetur conſtans in hunc usque diem ejusdem juris poſſeſſio & ſemper continuatum exercitium.

X. In confirmationem eorum, quæ hactenus dicta ſunt, & ad eorundem ampliorem declarationem, ac eleuteraitionem ſubjungimus quædam ex Epiſtola Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, ſcilicet Bituricenſis, Narbonnenſis, Senonenſis, Auxitanenſis, Arelatenſis, Nannetenſis, Albienſis, Sagienſis, Lingonenſis, Lexovienſis, Claromontani, Altiſſiodorenſis, Bellovacenſis, Dignienſis, Abrincenſis, Ambianenſis, Carnotenſis, Leonenſis, Dardanienſis, Lucionenſis, Sueſſionenſis, Noviomenſis, Adurenſis, Lemovicenſis, Mimatenſis, Metenſis, Regienſis, Gracenſis, Conſtantienſis, Aurelianenſis, Vaſatenſis, Agennenſis, Bononienſis & Xanctonenſis ex Comitiis Pariſinis die 10. Febr. 1631. ad univerſos Archi- & Epiſcopos per Galliam conſtitutos ſcriptâ, ſcilicet: „ Limites „ habet jurisdictio Epiſcoporum, non habet Charitas: omnes „ illud Apoſtoli uſurpare & poſſumus, & debemus, *Inſtantia mea quotidiana ſollicitudo omnium Eccleſiarum*; *quis infirmatur & ego non infirmor? quis ſcandalizatur & ego non uror*? Itaque veteri atque Apoſtolico inſtituto, ſi qua in „ noſtris Parœciis ſchiſmata oriuntur aut hæreſes, auctoritate „ compeſcimus, ſi alibi, medemur amore, qui tum demum „ Chriſto dignus eſt animarum noſtrarum Epiſcopo, cùm „ omnes complectitur, ſicut pro omnibus ille mortuus eſt. „ Huc accedit, quòd ubi de errore agitur, qui ſpectat Eccleſiam, ſibi proſpicit, qui aliena curat: ſerpit enim ùt cancer er-

„ error iſtiusmodi, & meritò, cùm unum inficit, omnes
„ terret. His de cauſis factum eſt, Fratres Reverendiſſimi,
„ ut noſtra fuerimus arbitrati, quæ eſſent Anglorum, nec
„ minùs miſerandæ iſtius Eccleſiæ vulnera ſenſerimus, quàm
„ ſi nobis ipſis eſſent inflicta. Cùm enim accepiſſemus alla-
„ tos ex ea Inſula libellos duos, quos linguæ periti dicerent
„ peſtilentis doctrinæ eſſe pleniſſimos, concurrimus velut ad
„ ſedandum domeſticum incendium, quotquot in hoc orbis
„ theatro verſabamur Epiſcopi, & donatos latinitate excuſſi-
„ mus diligentiſſimè, ac recenſuimus, iiſque tandem inuſſimus
„ ſtigmatis, quibus facilè à ſcriptis probæ ac ſanæ doctrinæ
„ diſcernerentur. Atque hoc judicium noſtrum ad vos mitte-
„ re viſum eſt, Fratres Reverendiſſimi, ut, quorum una eſt
„ cauſa, unus ſpiritus, una charitas, unus quoque ſermo ſit
„ ac ſententia. Neque enim ullo modo dubitamus, quin ea,
„ quæ damnanda cenſuimus, ſitis damnaturi, & eandem fidem,
„ eâdem doctrinâ totis animis profeſſuri &c.

Hinc vides, qualiter Epiſcopi in & pro ſuis reſpectivè diœceſibus, ſuâ pro veteri atque Apoſtolico inſtituto utentes jurisdictione, de Jeſuitarum doctrinis judicent, eas pro re nata ipſimet damnent, & charitate moti ſuos in Epiſcopali munere Confratres moneant, ut tandundem in ſuis faciant Eccleſiis. Suos inquam Collegas ad idem Paſtoralis officii exercitium excitant, Romam non ſollicitant. Sed qua demum in cauſa illi hæc agunt? quorum doctrinas damnant? Jeſuitarum: & qualium Jeſuitarum? Eorum, qui in ſuâ adversùs idem hoc Epiſcoporum Galliæ judicium prætenſâ defenſione atque oppoſitione in publicum datâ de ſe aſſerunt, *non eſſe credibile, contra tot fidei articulos homines errare fœdè craſſèque potuiſſe, Theologiæ profeſſione claros, aut ſpontè perfidéque voluiſſe, pro vera fide usque ad vincula laborantes.* Deinde: *Propoſitiones à Catholicis & talibus viris aſſertæ, quo magis tetræ, fœdæ, abominabiles videbantur, eò erant curioſius examinandæ, ne fortè contra authoris mentem aut verba malitiosè improbéque exceptæ fuiſſent.* Petri Aurelii Opp. Tom. I. pag. 91.

Ve-

Verùm hanc objectionem ita depellit ibid. Aurelius, ut ejus reſponſio Zaccariæ & ejuſdem *viris doctis*, *qui ſibi videntur gravibus rationibus fulciri*, perinde applicari valeat. Ita autem ille: „ Superbiæ iſta eſt reſponſio, non innocentiæ, „ non judicii, non veræ Chriſtianæque ſanitatis. Quaſi verò „ iſti *Theologiæ* ſcilicet *profeſſione clari homines* clariores ſint, „ illuſtriores, eruditiores Origene tot portentoſorum dogmatum inventore, Tertulliano, Didymo, Apollinari, Euſtachio; Neſtorio, Eutyche Archimandrita, aliiſque innumeris, „ qui iſto genere gloriationis, ingeniique, eruditionis, librorúmque editorum, famæ ac nominis magnitudine non ſolùm Jeſuitas, ſed pene omnes orthodoxos Scriptores ſuperare potuerunt. Si verò de vitæ integritate fideique conſtantia & ſuſceptis pro ea laboribus ac periculis contentio „ fiat, ſcilicet comparandi erunt cum iiſdem iſtis Origeni, „ Tertulliano, tam ſtrenuis ejus ſigniferis, vitæque inculpatiſſimæ ad nimium uſque vitiorum odium cultoribus, Neſtorióque potiſſimùm, de quo miranda eſt illa Cœleſtini Papæ „ ad eum ipſum ſcribentis teſtificatio: *Tantâ opinione vixiſti*, „ *ut tuis te aliena civitas inviderct; tanto nunc horrore vitaris, ut tui in aliis videant, qualiter fuerint liberati.* - - - - „ Credúntne (Jeſuitæ) malas cupidines obcœcare, ambitionem „ ſubvertere, ſcientiam inflare? Illam præcipuè Scholarum „ ſuarum vernaculam ſcientiam, totam humanæ contentionis, „ opinabilem, volaticam, parum Scripturæ, Patrum, Traditionis antiquæ, ubi Chriſtianæ Doctrinæ veræque Theologiæ prora & puppis eſt, ſollicitam, ſuis inventis, ingenii „ conatibus, novitatibus, & immani cuidam licentiæ indulgentem - - - - Quid proclivius ad lapſum, quid adversùs „ illecebrarum animi perturbationúmque majorum turbines „ imbellius ac mobilius, quàm mens ei doctrinæ immerſa, „ quæ, omiſſâ divinorum fundamentorum ſtabilitate, tota in „ humani ingenii ſcopulis hæret ac fluctuat, tota humanæ „ ventoſitatis caligine circumfuſa eſt? Mirari interdum ſoleo, „ non plura ab illis peccari &c.

CAPUT II.

Adverſùs receptas in Gallicana Eccleſia ſententias Zaccaria obtuſis armis dimicat.

I.

Neſcio, an in hoc devio Adverſarium ſequar. Habet Gallia ſuos Boſſuetos, alióſque magni nominis Theologos atque Canoniſtas, habet ſanam firmámque doctrinam, ex ſententiis Patrum & actis Conciliorum deprompram, ſolemnibus Cleri Cœtibus examinatam, probatam, Regis auctoritate munitam, quam Itali vanis ratiociniis ex inani Philoſophia acceptis non vincent. Hanc Magiſtram ſequenti, & cum illa privilegium inerrantiæ Rom. Pontifici neganti Febronio, Zaccaria ſui Antifebronii Vindicati *Tomo II. pag. 338.* audet objicere, „ eum cum Chriſtiana ac literaria Republica nimis audacter egiſſe, quaſi unâ ſui ipſius auctoritate in re tam „ gravi imponere, ne dicam illi illudere ſe poſſe confideret. „ Quaſi verò ſoli ſuæ auctoritati inniteretur, qui illam Gallicanæ & aliarum Eccleſiarum continuò inclamat.

Pergit deinde non tam mihi quàm ipſi Gallicanæ Eccleſiæ inſultare *pag. 3-6.* ſcribens: „ Quid porro ſi adver- „ ſantis ſententiæ difficultates & incommoda perpendantur? „ Nemo illa meliùs novit, quàm *Gallicana* Eccleſia ob maxi- „ mas turbas, quas factio *Queſnelliana* adversùs Conſtitutio- „ nem *Unigenitus* excitavit. Hac omnibus ratum in *Galliis* „ firmúmque, ùt ante annum 1682. (*hoc falſiſſimum eſt*) „ fuiſſet, Romanos Pontifices, ut aliquid definiunt, infallibi- „ les eſſe; nullus certè iis cavillationibus locus fuiſſet, quas „ dum rebelles ac pugnaces vitiligatores adripuere, Eccleſiæ „ damnationi ſe ſe ſubducere conati ſunt. At quoniam res „ ad Eccleſiæ conſenſionem devoluta eſt, quot captionibus, „ ac ſubdolis artibus Pontificiam Conſtitutionem, ſin minùs infrin-

„ infringere, eludere certè ſtuduerunt. „ Fac tu omnibus non in ſola *Gallia*, ſed *univerſo orbe*, ratum firmúmque ſtare, Romanos Pontifices, cùm definiunt, eſſe infallibiles, tunc non modò in Gallia, ſed nec in ulla alia Chriſtiani orbis parte fuiſſent, eſſent, aut deinceps forent hæreſes aut turbæ circa res ſacras. Sed quoniam hoc nullo ſæculo populis perſuaſum fuit, hinc aliis canonicis mediis adversùm hæc mala opus eſſe, perpetuò in Eccleſia creditum eſt. Si optare liceat, ego quidem vellem, ut Papa ex ſpeciali divini Numinis privilegio non ſolùm in *Dogmate*, ſed etiam in *Diſciplina* omni errore & ſiniſtra paſſione vacuus foret; quàm tunc beatam haberemus omni ex parte Eccleſiam! Quære jam, cur divinus Eccleſiæ noſtræ fundator nos tam felices eſſe noluerit.

II. Nunc ex ipſo Boſſueto nos damnare adverſarius nititur *pag.* 365., quippe qui in Defenſione Declarationis Cleri Gall. diſertiſſimè profiteatur: *Cathedra Petri ſi* CONCIDERE *poſſet*, *fierétque jam Cathedra non veritatis ſed erroris & peſtilentiæ*, *Eccleſia ipſa Catholica non haberet ſocietatis vinculum*, *ſed ſchismatica & diſſipata eſſet*, *quod non eſt poſſibile*. Verùm advertat Jeſuita ad illud, *Si concidere poſſet Cathedra Petri*, id eſt, ſi Primatus interire, & per hoc vinculum Eccleſiaſticæ ſocietatis diſſolvi poſſet. Itaque explicemus Boſſuetum ex ipſo Boſſueto, ita ſcribente *Lib. XV. Cap.* 5. „Neque objiciant, *Sedem* à *ſedente* Pontifice minimè diſtinguendam; hunc enim errorem multis jam veterum teſtimoniis ſublatum eſſe credimus: vel S. Leonem audiant *Epiſt.* 53. *ad Anaſt.* de ſede Antiochena dicentem: *Aliud ſunt Sedes*, *aliud præſidentes*. Neque propterea dicimus, ipſam *Sedem* aliquid exercere poſſe poteſtatis aut jurisdictionis, aliter quàm per ipſum *præſidentem*: Sed ſi præſidens erraverit, errorem eum ſtatim repellendum, neque coaliturum. Neque verò diſtinguimus à Romanorum Pontificum fide Romanæ Eccleſiæ fidem; quam ſcilicet non aliter quàm à Petro primo atque à Petri ſucceſſoribus Romani didicerint.

„ Neque huic fidei oberit, ſi aliquot Pontifices officio „ defuerint, atque à vera fide, eíque conjuncta fidei profeſſione „ ac prædicatione aliquando aberrarint. Stat enim Romana „ fides ab eorum anteceſſoribus ſtabilita, ab eorum ſucceſſo- „ ribus ſtatim vindicanda; ùt factum in Liberio, Honorio, „ aliíſque vidimus, nullo Romanæ fidei, aut Romani Prima- „ tûs detrimento. *Etſi enim*, inquit Leo Epiſt. 62. ad Ma- „ xim. *diverſa nonnunquam ſunt merita Præſulum, tamen jura* „ *permanent Sedium*: quantò magis permanent jura in Sedem „ Apoſtolicam per Petrum, auctore Chriſto, collata. - - -

Et poſt pauca: „ Neque illa vacat Eccleſiæ oratio Domi- „ num deprecantis: *Ut gregem tuum Paſtor æterne non deſe-* „ *ras*; *ſed per beatos Apoſtolos tuos continuâ protectione cuſto-* „ *dias*. Certúmque eſt id, quod ſubditur: *iis Rectoribus Ec-* „ *cleſiam gubernari*; quantò magis Petrus, omnium Princeps, „ *in propria Sede vivit ac præſidet*; ùt & S. Leo *Serm. III.* „ *in Anniv. aſſump.* egregiè docet, & univerſa Eccleſia in „ œcumenicis etiam Conciliis ſæpe confitetur.

His demum ſubjungit: „ Quibus hæc magna & præcla- „ ra Sedíſque Apoſtolicæ majeſtatis digna non ſufficiunt, ii „ ut ſe in minuta atque oppidò abſurda ac falſa conjiciant, „ non ratiociniis, ſed jam experimentis vidimus.

III. Quod Zaccaria adverſùs conſtantem Eccleſiæ Gallicanæ ſententiam, nimirum ut eam hac in parte vacillantem aſſereret, aliis mediis non valuit, hoc recentioribus quorundam Epiſcoporum Documentis Paſtoralibus, præcipuè occaſione Conſtitutionis *Unigenitus* editis, ſcilicet Maſilienſis, Catalaunenſis, Bellicenſis, Ruthenenſis, Cameracenſis, Arelatenſis, Atrebacenſis &c. efficere ſe poſſe gloriatur. Ex his unus ſe ita enuntiat: *Si le jugement de l'Egliſe de Rome me condamne, vous m'y verrez ſoûmis dans l'inſtant à l'exemple de feu M. de Fenelon Archevêque de Cambrai, & être le premier à réconnoitre & à publier hautement que je me ſuis trompé*: alius ſic: *Nous nous ſentons également preſſé d'acquitter la promeſſe, que nous avons faite d'ètre les premiers à abandonner ce livre* de Queſnel,

Queſnel, *dés que le Pape le condamneroit, & de ſatisfaire à l'obligation, où nous ſommes par toutes ſortes de raiſons, de témoigner notre reſpect & notre ſoumiſſion pour le Chef viſible de l'Egliſe*: alius: *J'enſeigne à ſoumettre humblement ſes lumieres à celles du Vicaire de J. C. notre Pere & notre Superieur commun - - - - Voila le fond de ma doctrine & l'abrégé de mes principes*: alius: *Que la preſomption humaine ſe taiſe, aprés que l'auctorité de St. Pierre Chef des Apôtres, confirmé par l'oracle divin, a parlé: que non ſeulement elle ſe taiſe; mais encore qu'elle reduiſe ſon entendement en captivité pour le ſoumettre à Jeſus-Chriſt, que le Pontife Romain répréſente*; alius: *Il ne nous eſt pas permis de rien écouter, qui ſoit contraire aux deciſions du ſouverain Pontiſe*: alius: *Qu'il ne prétend pas ici agir comme juge. A Dieu ne plaiſe qu'il croit l'être d'une choſe decidée par le ſaint Siége; mais declarer ſes ſentimens, s'unir au S. Pere, adhérer à ce qu'il a ſi ſagement & judicieuſement condamné.*

Anne prætendit, aut ex his concludere noſter Jeſuita præſumit, omnes hos Epiſcopos juramenti, quo ad defendendas notas quatuor Cleri propoſitiones ſe ſe adſtrinxerant, adeo fuiſſe oblitos, ut in conſpectu totius Galliæ voluerint vel aſſerere Romani Pontificis infallibilitatem, vel negare Concilii generalis præ illo ſuperioritatem, vel denique diffiteri libertatem ſuorum votorum deciſivorum in judiciis cauſarum fidei? Imprimis vel ex ipſo Florentino Concilio noſcimus, regulas & principia, ad quæ Papæ & ſanctæ Sedis privilegia exigenda ſunt, non ex aliquibus honorificis & ad obſervantiam compoſitis elocutionibus, quibus Patres & Antiſtites, cùm ad ſummos Pontifices ſcribunt, aut de eis verba faciunt, uſi ſunt, ſed ex ſacra Scriptura, ex actis Conciliorum & ſacris Canonibus deſumenda eſſe. Aptè in hanc rem dixit Boſſuetus Lib. XV. Cap. 15. „ *aliud eſt quod piâ fiducia præſumimus, aliud quod certâ* „ *fide credimus.* Cùm Epiſcopi ac Synodi particulares de Fide „ judicant, hos vera judicâſſe pia fiducia ſuadet; ſuccurrit enim „ illud Matth. XVIII. ℣. 20. *Ubi ſunt duo vel tres congregati*

 in

„ *in nomine meo, ibi ſum in medio eorum;* meritóque præſu-
„ mitur, tanto præſidio fultos officio non defuturos, neque
„ aberraturos ab antiqua Eccleſiarum ſuarum traditione, cujus
„ cuſtodes ſunt. Jam ſi ad Romanum Antiſtitem quæſtio de-
„ volvitur; atque is Eccleſiarum omnium communione vi-
„ gens, ad quem proinde omnia referuntur, promittit judi-
„ cium ex illa Petri Sede, quæ eſt ædificata in generationem &
„ generationem, ubi ſtabiliendæ Fidei tanta conſtantia & adver-
„ sùs hæreſes atque novitates tanta cautela eſſe ſolet; multò ma-
„ gìs præſumitur, judicium ex Petri æquitate ac prædicatione &
„ communi Eccleſiarum traditione eſſe depromptum Cùm verò
„ Eccleſia Catholica ipſa decernit, *aut ipſa verè conſentit*, non
„ præſumptio, ſed ipſa res, nec jam pia illa fiducia, ſed
„ πληροφορία, quam Paulus appellat, ac plenæ fidei certitudo.

Inter ipſos illos Galliæ Epiſcopos, quorum verba adverſarius *pag.* 382. &c. 383. recitat, nonnulli ſe ſe ita enuntiant, ut apertè ſignificent, ſe juri & libertati Epiſcoporum, ſive ante, ſive poſt Decretum Pontificis, ſive demum unà cum eo de quæſtionibus fidei judicandi nequidquam derogatum velle. Ita enim Ruthenenſis Antiſtes D. de Saleon: *Les Evêques ſont par leur caractére, non ſeulement dans les Conciles, en tous tems, & en tous lieux, les juges de la Foi, & lorsqu'il s'agit d'accepter une deciſion du Pape, & même celle d'un Concile œcumenique, loin de ſe depouiller de cette qualité de Juge, ils en exercent, comme nous l'avons dit ailleurs, la fonction.* Neque aliter Epiſcopus Cabilonenſis hæc ſcribens: *Il vint enfin le Jugement* (Conſtitutio Unigenitus), *les Evêques, à quelques-uns prés, y joignirent le leur, & de la déciſion du Chef ils en firent par une adheſion unanime leur propre deciſion, comme il s'eſt toujours pratiqué.* Sic ex fallibili deciſo *Pontificis* per unanimem adhæſionem Epiſcoporum fit infallibile deciſum *Eccleſiæ*; juxta illud quod paulò antè ex Boſſueto dictum eſt: *Cùm Eccleſia Catholica verè conſentit.*

IV. Ex his temperanda, explicanda & emendanda illa, quæ porro Zaccaria ad probandum Clerum Gallicanum à Decla-

Declaratione anni 1682. receſſiſſe, inani conatu profert. Sic autem ille in imaginarium hunc finem *cit. pag.* 383. „ Pro-
„ dierat Romæ XVI. Julii an. 1705. Clementis XI. Conſtitu-
„ tio: *Vineam Domini*: Clerus tamen Gallicanus in generali
„ Pariſienſi Conventu, qui menſe Auguſto celebratus eſt,
„ non ſolùm illam communi conſilio promulgandam, in ſuiſ-
„ que Eccleſiis & Diœceſibus executioni mandandam cen-
„ ſuit, præſcriptis in rebelles atque inobedientes pœnis cen-
„ ſuriſque Canonicis, ſed excitatos in Gallia tumultus Roma-
„ ni Pontificis auctoritate jam fuiſſe compreſſos pronuntiavit;
„ - - - - - atque in ſolemni Clementis Decreto Petri judicium
„ ipſius ore loquentis venerabatur. Enimvero Clero Gal-
„ licano, dum hæc 22. Auguſti profitebatur, exploratúmne
„ eſſe poterat, Conſtitutionem editam 16. ſuperioris Julii fuiſſe
„ ab univerſa Eccleſia, aut etiam à majore Epiſcoporum nu-
„ mero ſuſceptam? - - - - - Univerſa hæc, quam à Gallicanis
„ Epiſcopis hactenus accepimus, dogmatum collectio cum
„ eâ, quæ tamen poſt Cleri Declarationem an. 1682. in
„ Galliis obtinent, de fallibili ante Eccleſiæ conſenſum Roma-
„ ni Pontificis judicio ſententiâ manifeſtè confligunt.

Verùm egregiè ſe Jeſuita fallit, aut potiùs alios callidè fallere laborat, dum geſta Cleri de 22. Auguſti anni 1705. cum actis & Declaratione anni 1682. confligere ſomniat. Imprimis enim ſæpelaudatus Clerus in memorato Conventu an. 1705. antequam Bullam *Vineam Domini* reciperet, ſibi de tribus expreſſè cavit his verbis: 1. *Que les Evêques ont droit, par inſtitution divine, de juger des matieres de Doctrine.* 2. *Que les Conſtitutions des Papes obligent toute l'Egliſe, lors qu'elles ont été acceptées par le corps des Paſteurs.* 3. *Que cette acceptation de la part des Evêques ſe fait toujours par voie de jugement.* Equidem multùm diſplicuere præviæ hæ reſervationes Clementi Papæ, tanquam præjudiciales prætenſæ Pontificis infallibilitati in judiciis fidei; ſignificavit etiam Papa ſuam eâ de re diſplicentiam duobus Brevibus, altero ad Regem, altero ad Clerum dato, ſed inani ſucceſſu. Deinde poſtquam hoc Pontificiale

ficiale Decretum (quo reſpectuoſum ſilentium *in materia fidei* juſtiſſimè damnatur) ab Epiſcopis ſuo jure examinis & judicii utentibus acceptatum eſſet, poterant illi non ſolùm collegialiter, ſed & ſinguli, illud comminatione pœnarum Eccleſiaſticarum & Cenſurarum eò magis munire, cùm etiam quisque Epiſcopus id pro ſua diœceſi valeat in particularibus ſuis Documentis Paſtoralibus, quæ *Epiſcopales* conſtitutiones ſeu prohibitiones in materia fidei continent.

V. Fatigat ſe deinde Zaccaria inutilibus aſſertionibus, quibus ſæpefatam Cleri Gallicani Declarationem revocatam eſſe contendit. Ac primùm quidem *pag.* 398. narrat, qualiter Alexander PP. VIII. lethali morbo correptus, & morti proximus (obiit enim ipſis Kalendis Februarii) duodecim ad ſe Cardinales, duósque Protonotarios advocari, ac coram his quandam Conſtitutionem legi & publicari fecerit, qua Comitiorum Gallicanorum acta irrita ac nulla declarantur. Deinde *pag.* 400. qualiter ſub Innocentio XII. qui in Alexandri locum ſuffectus fuit, res tandem compoſitæ fuerint, eâ tamen lege, ut qui Epiſcopi Comitiis interfuerant, ubi vel ad alias eſſent Eccleſias transferendi, vel illas ipſas, quarum fuerant à Rege deſignati Præſules, adire vellent, ſcriptâ ad Pontificem epiſtolâ illorum Comitiorum acta recantarent. Tertiò ait *pag.* 403. ipſe Rex Ludovicus XIV. 24. Sept. 1693. in ea quam ad Innocentium XII. dedit epiſtolâ declarat, ſe mandata dediſſe, ut regium edictum de 2. Martii 1682, quo Declaratio Cleri ejusdem anni roborata fuit, effectu careat.

Verùm hæc, & ſiqua ſunt ejusdem generis alia, hodie non ſunt ampliùs de tempore, poſtquam iteratis Edictis Regiis omnibus regni Academiis mandatum eſt, ut quovis anno celebres illi Quatuor Articuli in publicis ſcholis tradantur & defendantur; poſtquam ex juſſu Regis nullus ad ſupremos gradus academicos admittitur, niſi antè in eosdem Articulos juraverit, omnes autem ad Epiſcopatus promovendi in Jure vel Theologia graduati eſſe debent; poſtquam denique Papa hæc omnia non ignorat, & nihilominus illis, qui à Rege ad Abba-

Abbatias & Epiſcopatus nominantur, ſine ulla contradictione aut quacunque reſervatione bullas confirmationis largitur. Temerarius itaque ſit & talis meritò nuncupetur, qui quatuor illis articulis doctrinam Eccleſiæ Gallicanæ contineri negaverit. Plus autem quàm temerarius, imò inſanus ſit, qui cum Colonienſi Kauffmanno & noſtro Jeſuita Italo huic Gallicanæ ſententiæ maximam ſuam probabilitatem, ne quid dicam amplius, negare præſumeret. Eant viri illi in Galliam, & ibi prædicent *Evangelium* ſuum *Romanum*. Non indignentur, quæſo, huic expreſſioni, quod enim tam verum eſt, ut ejus contrarium ne probabile quidem ſit, hoc propè ad certitudinem Evangelicam accedit; una dicentis *divina* auctoritas deficit. Videntur viri ex eadem ſchola (Romana ſcilicet) prodiiſſe, ex qua ſæculo ſuperiore exeunte prodiit *Nicolaus Cevolus*, qui Epiſcopis Galliæ invidiam creaturus aſſerere non dubitavit, *Propoſitiones Cleri Gallicani ad unum omnes ex Inſtitutionibus Calvini eſſe deſumptas, ac planè hæreticales*. Porro quàm falſum ſit, quod ex quadam Epiſtola Paſtorali Meldenſis Epiſcopi Card. de Biſſy de an. 1722. Zaccaria *pag.* 411. refert, ſcilicet omnes alias gentes Pontificiam infallibilitatem conſtantiſſimè agnoſcere, ſuo loco oſtendimus.

Quod de libellis, qui ab Univerſitate Lovanienſi adversùs Declarationem Cleri Gallicani anni 1682. prodierunt, noſter Jeſuita *pag.* 391. memorat, & deinde *pag.* 396. de nationali illo Conventu Hungarico ſub præſidio Archiepiſcopi Strigonienſis, illis jam reſpondit ipſe Boſſuetus Capite II. Diſſertationis præliminaris, quæ editioni gallicæ egregii ſui Operis an. 1745. demum præfixa eſt.

VI. Cùm Galli & nos cum eis totam vim infallibilitatis ſtatuamus in Eccleſia tanquam *Columna veritatis*: interrogat ille *pag.* 472. quænam Eccleſia ſit *Columna veritatis*? num ea, quæ ſejuncta eſt à ſuo Capite? an ea ſolùm, quæ cum ſuo Capite prorſus conſpirat? Debilis inſtantia! Diximus alibi quantum ſatis, Eccleſiam debere ſuo adhærere Capiti, ſicut Caput Eccleſiæ; atque in eo, utì communiter fit, nul-

lam eſſe difficultatem. Sed quid ſi Caput ſe à Corpore ſeparet? ſi primus in ordine hierarchico ſchiſma faciat? num eo caſu columna decidet? Fatentur certè Galli, fatetur Boſſuetus ipſe, *ex antiquiſſimis regulis Synodos generales absque Romano Pontifice nullas eſſe & irritas.* Verùm hoc non impedit, quominus idem vir Illuſtriſſimus Lib. III. Cap. 1. ſuæ Defenſionis ſic rectè ſcribat: „ Sanè apud omnes conſtat, „ certis quidem *caſibus extraordinariis* Concilium absque „ Papa congregari poſſe; idque non modò in ſchiſmatis „ caſu, ſi Papa ſit dubius: ſed etiam ſi ſit hæreticus, ſi de- „ tentus, ſi mente captus, ſi apertè ſimoniacus, ſi ea molia- „ tur, quibus univerſam peſſundet Eccleſiam, in aliis deni- „ que caſibus, qui dilationem remedii non paterentur; quos „ caſus evenire poſſe Theologi Canoniſtæque omnes agno- „ ſcunt; atque iis in caſibus Papæ Concilium anteponi opor- „ tere nemo diffitetur. Quorſum enim attineret, Concilium „ absque Papa fieri, niſi autoritas Concilii prævaleret?

Gerſon pluribus locis, ſignanter Tomo II. col. 135. 172. 205. & 344. inculcat, *Eccleſiam vel Generale Concilium potuiſſe & poſſe congregari ſine expreſſo conſenſu vel mandato Papæ etiam ritè electi & viventis in multis caſibus.* Hos caſus ipſe diligenter enumerat, cùm in Sermone *Ambulate dum lucem habetis*, tum in aliis Sermonibus & Tractatibus: præſertim verò in Libro de Poteſtate Eccleſiaſtica Conſid. XI. ubi ſic ſcribit: *Concilium Generale in ſua ratione formali includit de neceſſitate Papalem auctoritatem*, SIVE PAPA SIT, SIVE NON SIT.

Ipſi (ut hoc addam) adverſarii ſaltem fatentur, Papam *propter crimen hæreſis* à Concilio judicari poſſe. Quare? quia, ùt inquiunt, hæreticus ipſo facto à Papatu decidit. Sed numquid Eccleſia vel Synodus, quando ille de hæreſi poſtulatur, & antequam convictus damnetur, in ipſo inquiſitionis ſeu accuſationis proceſſu in eum jam exercet juriſdictionem & actus ſuperioritatis?

Ut

Ut autem quod diximus de congregatione generalis Concilii ſine conſenſu Papæ in certis caſibus, non ſolùm firmemus auctoritate Gerſonis famoſi Theologi tempore Concilii *Conſtantienſis*, addimus ei unum ex inſignioribus Theologis ex ævo *Tridentinæ* Synodi, Franciſcum de Victoria. Is in *Relectione II. de Poteſtate Eccleſiæ Num.* 24. *pag.* 162. ita: „ Propter injuſtas diſpenſationes, vel mandata inſolentia, „ quæ in perniciem Eccleſiæ procedunt, poſſet convocari & „ congregari Concilium *contra voluntatem Papæ*, ut, ſi reſiſte- „ ret, obviaret ejus inſolentiæ. Hoc expreſſè tenet Sylveſter „ verb. *Papa* §. 4. Hoc expreſſè tenet Turrecremata aſſer- „ tor vehementiſſimus Pontificiæ dignitatis Lib. III. Cap. 10.

VII. Dixerat Febronius *Tom. I. Cap. VI.* §. 8. *n.* 13. qualiter per *Concilia Oecumenica*, qualiter per *univerſalem Eccleſiæ Obſervantiam*, articuli Fidei proponantur credendi: ſcilicet ibi *definiendo*, hìc *tradendo*. Addit, in eo tamen majus eſſe privilegium univerſalis Obſervantiæ in rebus fidei, quòd hæc ſit *abſolutè* infallibilis, Concilium Generale *conditionaté:* ſi nempe Patres legitimè convocati in eo ita ſe geſſerint, ut dici debeant repræſentaſſe totam Eccleſiam; quod, an ita de facto ſit, declarat *agnitio ſeu receptio Eccleſiæ*.

Adversùs hæc Ladislaus Sappel in ſuo, quem Febronio oppoſuit, Libro ſingulari *Part. I. pag.* 133. „ Ex eo, in- „ quit, ſequitur, quòd Eccleſia diſperſa pro ſtatuenda infalli- „ bili fidei Regula ordinetur ad Concilium generale; & hoc „ ipſum Concilium, cùm tantùm *ſub conditione* infallibilem „ fidei regulam ſtatuere valeat, denuo & viciſſim ordinetur „ ad Eccleſiam diſperſam, experiendi gratiâ, *an hæc Eccleſia* „ *diſperſa generale Concilium ùt legitimè celebratum recogno-* „ *ſcat*. - - - - Hæc ipſa Eccleſia diſperſa ad generale Concilium „ ordinari jam ampliùs *abſque manifeſto proceſſu in infinitum* „ haud poterit, adeóque exſpectandum erit longiſſimo tem- „ pore, usque dum diuturnâ Eccleſiæ diſperſæ obſervantia „ Concilii definitionem conſolidet: quod eſt contra ipſiſſimam „ diuturnam ac æviternam Eccleſiæ obſervantiam. „

Applaudit huic argumento Zaccaria, *pag.* 480. exclamans: *Ingenioſè & verè dictum!* Ego interim hæc *ingenioſas nugas* appello. Attamen ſic Jeſuita inſtando proſequitur: „ Nunc „ illud ſolùm mihi à Febronio explicari velim, quomodo „ Eccleſia in Concilio congregata *Columna ſit veritatis*, egeátque tamen ſui ipſius diſperſæ confirmatione; quomodo „ Pontificis deciſiones à corpore Epiſcoporum in Concilio prodeuntes vim Divinam obtineant immediatè emanantem à „ Chriſto, ſi diſperſæ Eccleſiæ agnitionem ſeu receptionem „ præſtolari debent? Quomodo ante omnem Pontificis confirmationem ejusmodi vim divinam obtineant, quum ſaltem ùt diſperſæ Eccleſiæ Capiti & cum illa conjunctim „ Romano Pontifici in hac *agnitione ſeu receptione* ſuæ eſſe partes poſſent ac debeant?

Satisfaciamus utrique adverſario. Numerat Bellarminus *Tract. de Conciliis Lib. I. Cap.* 5. & 6. octodecim Concilia generalia *approbata*, & octo, quæ vocat *reprobata.* An hic calculus ſit omnino juſtus, non attinet modò disquirere. Inde illud ſaltem concluditur, nec *nomen* generalis Concilii, nec *numerum* Epiſcoporum, qui in eo ſederant, illi ſufficienter aſſecurare jus & qualitatem legitimi Concilii *generalis*. Etenim Concilio Mediolanenſi reprobato anni 354. aſſederant Epiſcopi plus quàm trecenti: Ariminenſi an. 363. Epiſcopi ſexcenti: Conſtantinopolitano anni 755. Epiſcopi trecenti triginta octo &c. Ideo autem poſteriora hæc Concilia pro generalibus non habentur, quia ab Eccleſia recepta non ſunt; priora autem generalia veráque cenſentur, quia Eccleſia ea pro talibus agnovit & etiamnum agnoſcit. Bellarminus de hac materia tractans *cit. Lib. I. Cap.* 9. & Nicænum Concilium pro exemplo ponens, ſic ſe explicat: *Nicænum Concilium fuiſſe legitimum, non ſolum unus vel alter Hiſtoricus teſtatur, ſed multi & varii Scriptores ejus temporis & temporum conſequentium*, & ECCLESIA *quæ nunc eſt, idipſum aſſerit.* Diſtinctiùs hæc explicat Melchior Canus *Tract. de Locis Theol. Lib. VI. Cap.* 8. *Reſp. ad decimum,* ad quem ſe etiam refert Bellarminus.

Sed

Sed magis ad rem noſtram Eximius Collet Theologiæ Tourneliana Abbreviator & Continuator *Tom. I. in Appendice de Locis Theologicis p. m. 36.* ubi : „ Si illuſtriores aliquæ Eccleſiæ Decretis alicujus Concilii, quod pro œcumenico habetur, nollent acquieſcere, quomodò Concilio generali V. Eccleſiæ nonnullæ, imprimis Gallicana, diu obſtiterunt; nonne tunc ſubſequens Eccleſiarum illarum approbatio neceſſaria foret, ut definitio vim & auctoritatem aſſequeretur? ℞. vel indubitatam eſſe apud Catholicos œcumenicitatem, & tunc pro hæreticis ac ſchismaticis habendæ ſunt, quotquot particulares Eccleſiæ Decretis Concilii non acquieſcunt. Ita quotquot fidei à Concilio Tridentino contra Novatores ſancitæ non acquiévere Eccleſiæ, ùt vocant reformatæ, pro hæreticis ac ſchismaticis habentur. Si verò de œcumenitate Concilii dubium ſit ac diſputatio inter Catholicos, tunc exſpectandum, donec planè rata ſit Concilii œcumenicitas: ac prudenti œconomia agendum cum iis, qui contradicunt. Ita olim factitatum occaſione dicti Concilii V. cujus auctoritas aliquando in dubium vocata fuit: non quidem ex dubio *juris*, quaſi dubium foret, an infallibilis eſſet autoritas Concilii verè œcumenici; ſed ex dubio *facti*, quia tunc dubium erat, an Concilium V. reverâ foret œcumenicum, propter diverſam de illo Vigilii ſummi Pontificis & Occidentalium ſententiam.

Concilium Lateranenſe anno 1512. à Julio II. inchoatum, & deinde ſub Leone X. continuatum, à Romanis pro generali habetur, ab aliis non; idque non obſtante Romani Pontificis confirmatione. De eo ita ſcribunt Religioſi Benedictini Congregationis S. Mauri in Libro, cui titulus, *L'Art de verifier les Dates*, edit. an. 1750. pag. 139. *Pluſieurs Théologiens ne reconnoiſſent point ce Concile comme Général, & le Cardinal Bellarmin permet d'en douter.* Quare autem his de ejus œcumenicitate dubitare permittitur, quando illud tot alii, & Papa ipſe, pro univerſali agnoſcunt? Haud dubiè quia nondum *ab univerſa Eccleſia diſperſa* pro tali habitum fuit;

hoc etenim ſi foret, æque illi hæretici eſſent ac ſchiſmatici, atque ii, qui Tridentinum pro generali non acceptant, quippe quod tanquam tale à tota Eccleſia Catholica honoratur.

Ubi hìc prætenſus ille à Sappelio *proceſſus in infinitum*? Eſt & manebit Eccleſia in Concilio unita *Columna veritatis*; ſed tum quando conſtat Concilium verè fuiſſe Oecumenicum; hoc demum præſtat agnitio Eccleſiæ tum actualis, tum ſubſequens; hac ſeclusâ nobis obtrudi poſſet Conciliabulum pro Concilio, latrocinium pro ſacro - ſancta Synodo, Synodus particularis pro univerſali. Porro Decreta fidei, quæ à Concilio prodeunt, de cujus legitimitate & œcumenicitate non dubitatur, divinam illam vim ſtatim obtinent, citra omnem Pontificis confirmationem. Hoc novimus ex Tridentino, à quo multa ſimilia Decreta obligatoria emanarunt pluribus annis antè quàm munirentur Pontificiâ confirmatione, quæ demum Synodo abſolutâ acceſſit. Denique nullum eſt dubium, quin in extraconciliari illa agnitione & receptione, ſuæ quoque Romano Pontifici partes ſint; ſed non tantæ ut, Eccleſiam vincant; uti jam vidimus in receptione ſeu agnitione Concilii Lateranenſis ultimi à Summo Pontifice *pro Univerſali* habiti & approbati.

VIII. Utprimùm Romano Pontifici negamus privilegium inerrantiæ, imò præferentiæ præ Concilio, clamitant viri illi, omnia eſſe in incerto: uti, inquiunt, Eccleſia non poteſt eſſe ſine Capite, ita illa nec in Concilio congregata ſine Papa, hoc ſepoſito nullum dari, ſaltem certum, generale Concilium, nullam proinde certam fidei definitionem: Eccleſiam diſperſam non habere in promptu, quo errorem damnet. &c. Vellem, ut hominibus illis daretur animo à præjudiciis libero legere ac ponderare, quæ adversùm hæc tranſcribimus ex Boſſueto *Lib. XV. Cap. 36.* Sic autem ibid. Illuſtriſſimus Antiſtes:

„ Inſtant: at ſaltem in gravi diſſenſione aut incerta erunt „ omnia, aut periculum ſchiſmatis imminebit, neque quid- „ quam remedii eſt. Neutrum: nam & eruditiores traditione tene-

Digitized by Google

„ tenebuntur, ùt factum ſub Stephano Auguſtinus docet; & „ imperitiores, ſiquidem ſunt Eccleſiæ veri filii, piæ Matris „ judicium obedientiſſimè exſpectabunt. At enim repugna- „ bunt Romano Pontifici, quod per ſeipſum grave eſt ma- „ lum, grave quidem illud in quocumque negotio; eſſet „ autem peſtiferum, ſi id ſine ordine & ſine modo fiat. Sed „ ut non ita fiat, ille Eccleſiæ pacificus ac temperatiſſimus „ Spiritus prohibet. Quid autem laboremus in quærendis iis, „ quæ cum facto opus ſit? Sunt quidem eâ de re à Gerſo- „ ne *Lib. de Examine doct. &c.* non incommodè ſcripta; „ verùm id ſufficiat, infinita eſſe, quæ ille Spiritus, in ſe „ unus ac ſimplex, in donis varius, Eccleſiæ ſuggerat. Id „ quidem certâ fide credere nos oportet, non remedia, non „ auctoritatem defuturam, cùm Eccleſia Catholica diſperſa „ & adunata tanta poſſit.

„ Hinc exiſtit argumentum: id tantùm in Eccleſia ha- „ bendum eſt pro impoſſibili, quo facto nullum ſupereſt „ veritati præſidium: at in caſu, quem dicimus, tutum ſuper- „ eſt in Eccleſiæ Catholicæ auctoritate præſidium; non ergo „ ille caſus eſt impoſſibilis. Quæ cùm ita ſint, Eccleſia „ Catholica ſola eſt, quæ nunquam deficere, nunquam erra- „ re poſſit ac ne momento quidem: Unde enim revictura? „ Pontifex mortuus in alio revicturus: vis enim illa creatrix „ Eccleſiæ ineſt. Quod idem fieret, ſi fidei defectu morere- „ tur. At non ùt Pontificem, ſi fortè aberrantem Eccleſia „ Catholica; ita aberrantem Eccleſiam Catholicam, alia Ec- „ cleſia Catholica corrigeret, coërceret, amoveret, tamen „ labaſceret ea, quâ omnium animos teneri ac niti oportet, „ auctoritas; nullúmque omninò remedium ſupereſſet, ſi „ Eccleſia Catholica diſperſa, adunatáve, ſemel à vero de- „ flexiſſet; quare ipſam primitùs & radicitùs immotam eſſe „ oportet.

IX. Non ſequar Zaccariam in iis, quæ *Diſſert. V. Cap. 7. & alibi* adversùs ſententias in Gallia probatas & receptas pro infallibilitate Rom. Pontificis, pro neceſſitate Papalis confir-

matio-

mationis ad dandum Conciliaribus Decretis robur &c. ille recoquit. Illud tamen non prætermittam, ut viri caracter & ingenium, etiamſi aliàs & pluries jam detectum, hic iterum manifeſtetur. Scilicet ad probandum, *quòd aſſenſu Summi Pontificis maximè opus ſit, ut, quæ à Concilio geſta ſunt, digna columnâ veritatis haberi & prædicari poſſint*, utitur ille pag. 473. teſtimonio Damaſi Papæ de Ariminenſi Synodo ita (juxta Zaccariam) ſcribentis: *Neque enim præjudicium aliquod naſci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt: quum conſtet neque Romanum Epiſcopum, cujus ante omnes fuit expetenda ſententia ----- hujusmodi ſtatutis conſenſum aliquem commodaſſe.* Videamus jam Epiſtolam ipſam apud Conſtantium colum. 487. & Harduinum Tom. I. col. 772. *Damaſus, Valerianus, Vitalianus, Aufidius, Pacianus, Victor, Priſcus, Innocentius, Abundius, Theodulus, & cæteri qui ad audiendam cauſam Auxentii*, EXPONENDAMQUE FIDEM, *in urbe Roma convenerunt, Epiſcopis Catholicis per Orientem conſtitutis.* Poſt alia: *Neque enim præjudicium aliquod naſci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt: cùm conſtet, neque Romanum Epiſcopum, cujus ante omnes fuit expetenda ſententia*, NEQUE VICENTIUM, QUI TOT ANNOS SACERDOTIUM ILLIBATE SERVAVIT, NEQUE ALIOS *hujusmodi ſtatutis conſenſum aliquem commodaſſe*: CUM PRÆSERTIM, UT DIXIMUS, IIDEM IPSI, QUI PER IMPRESSIONEM (hoc eſt, per *vim* poteſtatis ſæcularis, vel alterius *majorem*. Vid. Barnabas Briſſonius hac voce) SUCCUBUISSE VIDEBANTUR, IIDEM CONSILIO MELIORE DISPLICERE SIBI FUERINT PROTESTATI. Quæ hìc majuſculis expreſſa ſunt, ea Jeſuita, truncator, non ſine fraude prætermiſit, Lectoribus per ea quæ edidit perſuaſurus, *per Pontificis aſſenſum geſta Conciliorum ad* gradum ſeu *columnam veritatis perduci.* Imprimis non ſolus in hac Epiſtola loquitur Damaſus, ſed plures alii cum eo Epiſcopi, qui ad reſumendam cauſam Auxentii Mediolanenſis de mandato Imperatoris Romæ convenerant. Dico *de mandato Imperatoris*: ita enim

enim inſcribitur Epiſtola: *Exemplum Synodi habitæ Romæ Epiſcoporum XCIII. ex reſcripto imperiali.* Deinde ajunt hi, non ſolum Romanum Pontificem, ſed & alios Epiſcopos damnationi Auxentii (cujus cauſa cum quæſtione fidei in Concilio Nicæno ſtabilitæ connexionem habebat) conſenſum negaſſe. Igitur totum, quod ex hac Epiſtola favore Romanæ Sedis erui poteſt, eò recidit: *in cauſis fidei Romani Epiſcopi ante omnes expetendam eſſe ſententiam*; quod nihil minùs ſignificat, quàm Concilia generalia illius *Confirmatione* egere.

Porro in illa, de qua agimus, Damaſi & aliorum nonaginta duorum Epiſcoporum Epiſtolâ Synodali ad Orientales datâ, hæc legimus ad Auxentium Mediolanenſem relativa: *Neque enim hæreſis malum cadere in Dei Antiſtites poteſt.* Ea nos ſponte ducunt ad illam obſervationem Boſſueti, qua *Lib. XV. Cap.* 15. ait, à Patribus & aliis Tractatoribus Eccleſiaſticis equidem haud rarò aſſeri, Rom. Pontificem in fide non errare (quarum etiam aſſertionum plures Zaccaria *Diſſert. V. Cap.* 3. collegit); at tantundem de fide aliorum Epiſcoporum in Synodis & à Patribus prædicari, quorum etiam elogia hunc in finem recitat: non quaſi aut illius aut horum fides nunquam deficeret, ſed quòd id futurum non facilè præſumatur.

X. Dixit Zaccaria *Tom. II. pag.* 128. numquam eveniſſe, neque unquam futurum, ut generalis Concilii Patres aliter de fide definiant, aliter Papa; proinde de hac hypotheſi, & generatim de reſpectiva prærogativa ſeu majoritate alterius præ altero non eſſe laborandum. Aliter certe de hac quæſtione, à qua totum Jus Publicum Eccleſiaſticum dependet, in Tridentino cenſuere Patres, qui Romanorum hac in parte prætenſionibus tam fortiter obſtiterunt, ut eos tandem ad ſilentium cogerent. Vide de hac diſceptatione multis locis tractantem Card. Pallavicinum *Hiſt. Concil. Trid. Lib. XIX. Cap. 6. n.* 4. 5. *Cap.* 12. *n.* 10. *& ſeqq. Cap.* 13. *n.* 2. *& ſeq. Cap.* 15. *n.* 3. *Cap.* 16. *n.* 2. 5. 9. 10. 11. *Lib. XX. Cap.* 3. *n.* 2.

n. 2. *Cap.* 9. *n.* 11. *Lib. XXI. Cap.* 4. *n.* 5. 8. 12. *& ſeq. Cap.* 11. *n.* 12. *&* 13. *Cap.* 13. *n.* 4.

Sanè quæſtio, an Concilium ſit ſupra Pontificem, an Pontifex ſupra Concilium, plures includit utiliſſimas quæſtiones circa Fidem & Diſciplinam: 1) An Concilium legitimè adunatum, cui Papa aſſiſtit, vel cui legitimè vocatus aſſiſtere recuſat, plus habeat auctoritatis, quàm Pontifex ſolus & absque Concilio. 2) An RR. Pontifices teneantur legibus Conciliorum. 3) An Concilium poſſit judicare perſonam Papæ, eúmque damnare & deponere ob cauſam hæreſis vel alterius gravis criminis. Galli ſuſtinent & probant, Eccleſiæ ſemper perſuaſum fuiſſe, quòd Generalium Conciliorum auctoritas major ſit auctoritate Papæ; quòd Concilium Generale nunquam non habitum ſit pro ſupremo tribunali Eccleſiæ ad decidendum quæſtiones fidei, & ferendum leges univerſales; quòd omnes fideles, cujuscunque dignitatis, etiam Papalis, teneantur ſe ejus deciſionibus & conſtitutionibus ſubmittere; quòd opinio contraria nova ſit, nata circa tempus Concilii Piſani; quòd fuerit condemnata, quamprimùm prodiit; quòd denique contrarium ſit deciſum per Concilia univerſalia, quorum deciſiones ab Eccleſia receptæ, approbatæ, & in praxim deductæ ſunt. Quibus addimus 4), in Concilio Epiſcopis ex toto orbe collectis, factâ inter ſe collatione, magis meliúsque apertum ac cognitum eſſe debere, quâ formâ, quibusque terminis, *omnibus Chriſtiani orbis partibus accommodis*, certæ ſententiæ damnandæ, & reſpectivè certæ Regulæ fidei proponendæ ſint, quàm Pontifici ſibi ſoli relicto; proinde conformia horum vota hoc etiam caſu atque hoc capite opinioni ſeu dictato Summi Pontificis prævalere.

CA-

CAPUT III.

De nonnullis erroribus, præcipuè in materia Fidei, Febronio à P. Zaccaria per calumniam impactis.

I.

Maximum Zaccariæ ſtudium eſt, ut Febronii labores Catholicis ſuſpectos reddat & odioſos. Hoc ut obtineat, non ut veritatem populos doceat, nullum non movet lapidem; ſed quibus mediis? falſis verborum ſui adverſarii interpretationibus, perperam inde deductis ſequelis, doloſis imputationibus, arrogato contemptu ſententiarum Cleri & Eccleſiæ Gallicanæ, & ſimilibus machinis, quibus ſi ei (quod non ſperamus) ſuccederet, ut Auctorem ipſum nonnullis ex ſuperficie judicantibus inviſum reddat, tamen non efficiet, ut ejus Syſtema deſtruat. Finaliter verbis inſidiatur captioſus Diſputator, volens *me capere in ſermone*, ùt Phariſæi olim Chriſtum.

Et imprimis quidem *Tom. II. pag.* 329. ait: „ Febronius non contentus tacito Epiſcoporum Eccleſiæ conſenſu „ & acceſſu ad definitionem ſummi Pontificis ad *ultimatum* „ *& concluſum*, ùt ajebat Cap. VI. §. 8. n. 1., atque infallibile judicium in materia fidei exegit in primo ſui Operis „ Volumine *expreſſam & concinentem generalis Concilii ſententiam*, qua ſolùm fidei definitiones *peremptorias* eſſe comminiſcebatur. In novo tamen ſuarum Defenſionum Volumine primum ſuum apud *Queſnellianos* celeberrimum dogma, quo Eccleſiæ diſperſæ conſenſioni finiendarum controverſiarum auctoritas adimebatur, cautè, ne palinodiam „ canere videretur, diſſimulans ad Gallos adceſſit. „ Evidens hæc calumnia jam *Tomo II. Feb. pag.* 540. *ſeq.* depulſa eſt, Sed quia ille (quod Jeſuitarum ferè proprium eſt) non vult erràſſe; ſic eam hic recoquit. Relegat hac occaſione benevolus Lector *Cap. VI.* § 8. *Tomi I. Febr.* & judicet, an noſter

 Auctor

Auctor (quod adverſarius ſummâ infidelitate affirmat) pro conſtituendo Fidei articulo *abſolutè* requirat *expreſſam & concinentem* cum Summi Pontificis Decreto *Generalis Concilii ſententiam*; quaſi verò illè non admitteret aliud medium aliámque viam finiendarum controverſiarum fidei. Verùm de hac quæſtione pluribus agemus infrà *Num.* 8.

Illud non negaverim, Febronium, quoties tales circa quæſtiones de fide contentiones oriuntur, quæ Eccleſias, quæ Nationes concutere poſſunt, *optare*, ut ad imitationem primorum Eccleſiæ Sæculorum, illæ in œcumenicis Synodis eum in finem adunandis decidantur, & non remittantur ad incertam *diſparatarum* Eccleſiarum conſenſionem, pluribus ſæpe difficultatibus expoſitam, quàm ſit ipſa univerſalis Concilii congregatio. Secutus in hoc ille eſt ſententiam ac conſilium, quod Theodoſio Imperatori dedit Leo M. Epiſt. XXXIX. Cap. 2. 3. *Major ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur: generaliſque Synodus celebretur, quæ omnes offenſiones ita aut repellat, aut mitiget, ne ultrà aliquid ſit vel in fide dubium, vel in charitate diviſum.*

II. Poſt ea, quæ jam retulimus ex Zaccaria, ille ſic proſequitur *pag.* 332. „ Duo hic Febronius tradit & falſa & „ cum Eccleſiæ Gallicanæ decretis pugnantia. Primum eſt, „ Epiſcopos de ſummi Pontificis Conſtitutionibus judicare „ non poſſe, niſi cum deliberatione & maturitate id faciant; „ niſi ſcilicet, ùt alibi docuerat, Pontificis definitionem cum „ verbo Dei ſcripto & tradito conferant, ad diſpiciendum, „ an huic illa ſit per omnia conformis. At hoc *toti Eccleſiaſticæ antiquitati* & *Gallicanæ Eccleſiæ* adverſatur. „

Quid? ipſi Infallibiliſtæ, nullo excepto, ad hoc, ut definitio *Pontificis* in materia fidei inerrantiæ privilegio in eorum opinione gaudeat, poſtulant, ut Papa non temerè, non præcipitanter, ſed cum deliberatione, maturitate & judicio procedat. Hoc idem requirunt Theologi à Patribus in generali Concilio definientibus. Et nos non tantundem poſtulabimus ab Epiſcopis, quorum acceſſus ad Decretum Pontificis

illud

illud debeat elevare ad *definitionem Eccleſiæ*, qualis antè non fuerat?

Videamus poſt hæc, num verum ſit, quod Jeſuita ſcribit, hoc etiam *Gallicanæ Eccleſiæ* adverſari. Conſulamus eo fine Epiſtolam, quam occaſione Conſtitutionis *Unigenitus* Cardinales, Archiepiſcopi & Epiſcopi Galliarum anno 1728. ad Chriſtianiſſimum Regem perſcripſerunt, quámque adverſarius noſter ipſe *pag.* 314. allegat. In ea ita viri illuſtriſſimi: „ Nous bien eloignés de penſer & de dire, que pour porter, ou pour accepter un jugement de la foi, nous n'avons beſoin ni d'examen, ni de diſcuſſion, ni de *liberté*; mais nous diſons, en nous appuyant ſur la promeſſe de Jeſus-Chriſt, que quand *le Corps des Paſteurs* a prononcé, il n'eſt jamais permis aux fideles de refuſer la ſoumiſſion, ni d'héſiter à la donner.

III. „ Affirmat Febronius (& hoc alterum eſt, quod eo loco docet) quotquot exiſtimant Papam infallibilem, non poſſe de ſummi Pontificis decretis *cum deliberatione*, *maturitate & judicio* ſententiam ferre; quin etiam pronuntiat, neque *Proteſtantes* neque *alios*, quum ad ipſum Concilium univerſale ventum fuerit, multum fiduciæ poſituros in Conciliaribus votis aut judiciis eorum, qui jam antè declaraſſent, ſe non poſſe recedere à deciſo, quod Pontifex, ab eis infallibilis habitus, de quæſtionibus & materiis in Synodo ventilatis jam fortè dediſſet.„ Ita Zaccaria *l. cit. pag.* 334.

Imprimis nullibi dicit Febronius, quòd, qui Rom. Pontificem pro infallibili agnoſcunt, non poſſint cum *deliberatione*, *maturitate & judicio* de illius decretis Fidei ferre judicium; hoc voluit, eos non poſſe cum *libertate* ferre judicium. Poſſunt ſanè illi *maturè deliberare* de tali Pontificis decreto; poſſunt in eo conformitatem cum verbo Dei ſcripto & tradito (ſi revera ea illi inſit) perſpicere; ſed cùm ab illo ipſis in eorum ſenſu recedere non liceat, quis dicet, eos hìc cum *libertate* judicare? Ad moralem libertatem requiritur facultas in unam vel alteram partem, prout meliùs viſum fuerit, declinandi. Dicant

cant illi, deſideratam inter verbum Dei & Papæ conformitatem ſemper inveniri; aſt hoc ipſum eſt, de quo quæritur.

Quòd *Proteſtantes* in talibus votis non multum poſituri ſint fiduciæ, hoc illi ſatis demonſtrârunt in Tridentino. Refert Pallavicinus *Lib. XII. Cap. 15. n. 12. ſeqq.* Mauritium Ducem & Electorem Saxoniæ, Proteſtantium Caput, ſuo & ſuorum nomine per Legatos à Synodo petiiſſe, ut, quemadmodum in Baſileenſi factum, ita & in hac præviè declaretur, Pontificem ejúsque ſententias Concilio ſubjici. Huic petito cum Præſides repoſuiſſent, *Pontificem contrarium declarâſſe, nec fieri poſſe, ut tertius in terra ſupremus judex inveniretur*, non ſolùm omnis in animis Proteſtantium confidentia evanuit, ſed & ſpes ipſa reunionis. Applicet hoc Jeſuita ad vota illorum Patrum, quibus intimè perſuaſum eſt, ſe à ſententia Papæ diſcedere non poſſe.

Quantùm ad *Alios*, recolat ille, quod paulò antè in Epiſtola ad Regem Chriſtianiſſimum dixerunt Galliæ Præſules, ſcilicet plurimùm ſe abeſſe ab eo animo, quaſi ad ferendum judicium fidei eis opus non eſſet nec examine ſeu trutina, nec *judicandi libertate*. Quod ſic Galliæ ſapientibus ita perſuaſum fuit, ut ejus contrarium illis ferè abſurdum viſum ſit, illud nec aliarum gentium ſagacitatem effugiet: nempe ſicut ex una parte ad libertatem judicii requiritur facultas optandi inter duas ſententias, quod intellectui melius veriúsque videtur, ita ex altera quemvis prudentem parum fiduciæ poſiturum in ejus voto deciſivo, quem ſciunt, ſine libero proprii judicii uſu, debuiſſe cœcè amplecti ſententiam ejus, quem plurimi prudentes agnoſcunt non vacare periculo erroris.

Quod ad *Portus - Regii* Sanctimoniales ſcripſit Boſſuetus, nimirum duplicem eſſe, qua Epiſcopi Eccleſiaſticiis judiciis ſubſcribant, rationem, interdum nempe pro auctoritate judicando, interdum adſentiendo & obediendo: *quelquefois ils ſouſcrivoient en déſiniſſant, & quelquefois en obeiſſant*, hoc nemo prudens accipiet, quaſi Magnus ille Præſul notæ atque firmæ ſuæ ſententiæ de abſoluta libertate Epiſcopalium votorum in *decidendis* fidei

Digitized by Google

fidei quæſtionibus hac Epiſtolâ præjudicium ferre voluiſſet; etenim quod in ea de *obedientiali ſubſcriptione* dicitur, in eis ſolùm locum obtinet, quæ ab Eccleſia jam *deciſa* ſunt.

Interim hæc *ex alio capite* non præjudicant infallibilitati eorum, quæ in univerſalibus Conciliis deciduntur, ſed ſemper habebit locum, quod legitur in Documento Paſtorali Cameracenſis Archiepiſcopi de an. 1729. ab adverſario *pag.* 333. allegato, ſcilicet: „ Soit que les Evêques ſouſcrivent en *definiſ-* „ *ſant*, ſoit qu'ils ſouſcrivent en *obéïſſant*, Jeſus - Chriſt ne „ permettra jamais, qu'ils ſe trompent *dans leur commune pre-* „ *dication*, parce qu'il leur a promis d'être avec eux tous „ les jours jusqu'à la conſommation des ſiécles. „ Conf. *Tom. I. Febr. Cap. VI.* §. 8.

IV. Dictum fuerat *Tomo II. Febr. pag.* 196. *in illud temporis punctum indagare, quo Queſnellus, anno* 1719. *defunctus, aut ejus diſcipuli in bona fide eſſe defierint, & inde ad malam fidem tranſierint, non eſt hujus loci aut operæ.* Sed mox intercedit Zaccaria pag. 419. quærens. „ Tantine labo- „ ris id erat inquirere, quo primùm tempore univerſæ Eccle- „ ſiæ judicium rebelles homines protriviſſent? Anno jam- „ tum 1714. Clemens XI. ab Eccleſia ſuam ipſius vocem „ ſecuta Conſtitutionem illam (*Unigenitus*) adceptam ſcrip- „ ſerat in brevibus ad Chriſtianiſſimum Regem litteris, id- „ que anno 1718. toti Eccleſiæ in altera Conſtitutione, cujus „ initium *Paſtoralis officii* declaraverat. „ Non modici certè laboris ante annum 1718. erat noviſſe, an Conſtitutionem *Unigenitus* univerſa probâſſet & acceptâſſet Eccleſia, cùm eò usque circa hanc acceptationem graves, præſertim in Gallia, motus perdurarent. Sed nec hic privatorum labor erat & opera. Fatetur etiam adverſarius, dicto demum anno Pontificem univerſalis Eccleſiæ acceptationem ſeparatâ Bullâ *toti Eccleſiæ* denuntiâſſe; hæc Bulla an tam citò & ubique publicata fuerit, fortè adhuc quæri poſſet.

Non eâ hæc intentione eòve fine memoro, quaſi de univerſali acceptatione ſæpefatæ Conſtitutionis velim contendere,

dere, ſed ut temperem certorum hominum inſignem pruritum alios hæreticandi, quos putant non citò ſatis deciſioni Eccleſiæ ſe ſe ſubmiſiſſe. Hæc quoad quæſtionem, *An* & *Quando* Conſtitutio fuerit acceptata; de *Modo* & ſub qua *Qualitate* illa in Gallia admiſſa ſit, num. ſeq. diſſeremus.

Priùs tamen depellamus à Febronio aliam moleſtiam, quam ei Jeſuita irrogare intendit. Dixerat ille *l. cit. p.* 195. dogmaticam Rom. Pontificis Conſtitutionem, cui pars Eccleſiarum notabilis *expreſſè* adhæret, cæteris per orbem Eccleſiis *tacitè* conſentientibus, cenſeri & reipſa eſſe *univerſalis* Eccleſiæ *judicium*. Hoc ut exemplo declararet, *pag. ſeq.* addidit, Quesnellum, ſi bulla unigenitus in eo, quem jam diximus, caſu & ſub ea regula fuerit, non debere dici *prudenter* obſtitiſſe Clementi XI. imò veriùs univerſali Eccleſiæ. Dolet hic Zaccaria 1.) quod Febronius adverſus Quesnellum tam *frigidè* ſcripſerit. Aſt ſuo intempeſtivo zelo ille abreptus, minimè attendit, Auctori noſtro non fuiſſe animum, neque ibi locum, Quesnellianum negotium, quod paucis verbis *pro exemplo* adducit, pluribus proſequendi. Queritur 2.) quod ille, non *abſolutè* ſed *conditionatè* ſcripſerit: *Si* bulla fuerit acceptata. Imprudenter ſane egiſſet Auctor poſitive affirmando, Bullam *eo jam tempore* fuiſſe ab Eccleſia & univerſim acceptatam, quo Quesnellus appellavit. Suppone tamen 3.) illam in primis his circa hanc acceptationem adhuc obſcuris & turbidis temporibus revera & effectivè acceptatam fuiſſe; ego hanc facti, ſive ignorantiam, ſive errorem, fortè culpabilem, ex Chriſtiana charitate (quidni ex juſtitia? quæ nec Hæreticis neganda eſt) *imprudentiæ* magis, quàm *ſtudioſo animo* agnito Eccleſiæ Decreto reſiſtendi vel ideo tribuendum putarem, quod ad certum usque diem, menſem vel annum, vix determinabilem, ſaltem publica *communis Definitionis Eccleſiæ* notorietas deficeret. Inde 4.) magno ſaltu tranſit Jeſuita ad Tomi II. Februniani *pag. 266.* ubi Auctor dixit, neminem Quesnelliſtas *præciſè propter Bullam Clementis XI.* & virtute ejus *pro hæreticis* habuiſſe, ne ipſum quidem Rom. Pon-

Pontificem; tum addidit: *Hoc juſtiùs nunc faciunt ii, qui eandem ab univerſis Eccleſiis poſtmodum acceptatam affirmant.* Hic imprimis ille multùm carpit adverbium JUSTIUS, loco cujus optâſſet dictum *neceſſariò.* Sed de eo Num. ſeq. agemus, an nimirum *neceſſariò* pro hæreticis haberi debeant, qui Conſtitutioni poſt ejus acceptationem ab Eccleſiis factam ſe non ſubmittunt, & an non per illud *juſtiùs* noſter Auctor dixerit, quantum ſatis, aut fortaſſe nimium. Diſplicet ei denique 5) præmemoratum Febronii dictum, ſeu ambigua hujus (ut ipſi quidem videtur) loquendi ratio: *Qui eandem Bullam ab Eccleſia* POSTMODUM *acceptatam affirmant*; quaſi ille per hoc de univerſali Bullæ *Unigenitus* receptione dubitare videatur. Sed vana eſt ejus religio, vana criſis. Affirmant certè *bodie* omnes factam ab Eccleſia receptionem; ſed non omnes *vivente Queſnello*, aut ſaltem *ante annum* 1718. idem affirmabant; multò minùs hodie omnes Catholici affirmant, eos, qui *Conſtitutionem* quoad quædam puncta incertam & indeterminatam aſſerunt, debere inter *Hæreticos* reputari.

V. His omnibus gravior Zaccariæ dolor eſt, dum *Tom. II. Febr. pag.* 72. propriis Regis Chriſtianiſſimi verbis in Edicto anni 1766. legit, *Conſtitutioni Unigenitus non eſſe attribuendam denominationem, qualitatem & effectus Regulæ Fidei, quippe quæ Eccleſia ei non dedit.* Ad hæc Jeſuita *pag.* 429. „ Imponit Febronius Chriſtianiſſimo Regi, neque „ ejus mentem aſſequitur. Regulam eſſe Fidei Conſtitutio„ nem *Unigenitus* plerique *Galliarum* Chriſti fideles vel ab „ initio agnoverunt. Multi deinde etiam eodem illam nomi„ ne donarunt, immo donandam eſſe exquiſitiſſimis argu„ mentis comprobarunt. Nec verò, quei aliter fieri poſſit, „ video, poſtquam in Concilio *Romano* Benedicti XIII. Pa„ tres omnino centum in authentico decreto *Tit. I. Cap.* 2. „ ſe Bullam *Unigenitus* ſuæ uti ejuſdem *Fidei regulam* agno„ ſcere profeſſi ſunt. Nihil enim hoc teſtimonio luculentius „ non ſolùm ad revincendos *Janſenianos*, qui ſuſceptam non

Digitized by Google

„ fuiſſe Conſtitutionem in ullo Concilio cauſabantur, ſed „ etiam ad *Regulæ fidei* nomen auctoritatémque illi aſſerendam. Si enim adverſarii ipſi (Catholicos intelligo) falli „ neſciam *Romanam* Eccleſiam prædicant, utique in Conſti- „ tutionis explicanda natura ac vi non poterit errare. Unde „ autem apertiùs tutiúsque, quàm ex *Romano* centum Patrum „ Concilio, quæ *Romanæ* Eccleſiæ hac in re doctrina ſit, „ colligitur?

Egregiè omnino Pater Zaccaria! egregiè! Ergo 1.) *particularis* Romana Synodus anni 1725. nobis irrefragabiliter definivit, quòd Eccleſia *univerſalis* Conſtitutioni *Unigenitus* vim & naturam *Regulæ fidei* tribuat, quia ipſi Romanorum adverſarii (Catholicos intelligit) *Romanam* Eccleſiam falli neſciam prædicant! Ergo 2.) Janſeniſtæ per os Regis Chriſtianiſſimi loquuntur, dum ille palam edicit, eidem *Conſtitutioni* qualitatem & effectus *Regulæ fidei* ab Eccleſia non eſſe attributos. Repetamus pro rei claritate verba Regiorum Edictorum. In illo de 10. Decembris 1756. hæc leguntur: *Que tous nos ſujets aient pour la ditte Conſtitution* (Unigenitus) *le reſpect, & la ſoumiſſion qui lui ſont dûs, ſans neanmoins qu'on puiſſe lui attribuer la denomination, le caractere, & les effets DE REGLE DE FOI:* In Edicto de 24. Maji 1766. declaratur: *Sa Majeſté s'eſt toujours occupée à empêcher, par l'execution des Loix de ſon Royaume, qu'un zele indiscret ne ſe portat à abuſer de la Conſtitution Unigenitus, en lui attribuant la denomination, le caractere, & les effets de Regle de foi, QUE L'EGLISE NE LUI A PAS DONNES.* Ergone 3.) cum veritate dici poteſt, Febronium Regi Chriſtianiſſimo impoſuiſſe, quando illum inducit edicentem, *quod Eccleſia ſæpefatæ Conſtitutioni non dederit denominationem, caracterem, & effectus Regulæ fidei?*

Habemus utique plurium Archi- & Epiſcoporum Galliæ Documenta Paſtoralia, quibus Bulla *Unigenitus* proponi-

tur

tur tanquam *dogmaticum Univerſalis Eccleſiæ Judicium*; ſed nullo eorum, quæ hactenus vidimus, illi aſſeritur qualitas *Regulæ fidei*, quam ei tribuit Clemens XIII. quamque illi *ab Eccleſia* datam negat Rex Chriſtianiſſimus. Quare hoc? Quia nulli Judicio, etiam *dogmatico*, nomen, qualitas & effectus *Regulæ fidei* agnoſci poteſt, niſi *revelatum aliquod dogma nominatim & diſtinctè proponat*, quod ſæpenominata Bulla non præſtat, contenta ſub variis & indeterminatis qualificationibus *in globo* damnare 101. propoſitiones ex Libro Queſnelli extractas. Ait Zaccaria *pag.* 433. Regem, cum Conſtitutionem *Regulam fidei* haberi ac nominari vetat, *id unum caviſſe*, ne hoc nomine, de quo inter ipſos orthodoxos aliqua eſſet diſceptatio, Janſeniani veluti face & flabello ad ſeditiones excitandas abuterentur. Vertamus telum, & dicamus verius, Regem ſapientiſſimo ſuo Edicto caviſſe, ne Jeſuitæ & ſimiles importuni caloris homines turbas facerent, alios divexendo ſub prætextu *Regulæ fidei*, id eſt qualitatis, quam *Papa* Conſtitutioni dedit, non *Eccleſia*.

VI. „ Finge tamen (ſic pergit Zaccaria *pag.* 436.) à „ Clemente XIII. Chriſtianiſſimum Regem diſcrepaſſe. Ergóne dubio erit locus, utri credendum foret? . . . Principum igitur erit definire, num aliquid haberi debeat Eccleſiæ univerſæ Decretum, atque adeo dogma; non ejus, „ quem univerſæ Eccleſiæ Paſtorem, Caput, Magiſtrum conſtituit? „ . . . . Lentè, Pater Jeſuita! Nihil præcipitetur. Habet utique Eccleſia, habet Pontifex, habent Epiſcopi (quiſque ſuo modo) jus & auctoritatem dogmata definiendi. Verum ex altera parte habent Principes ſæculi jus impediendi in ſuis territoriis publicationem etiam *dogmaticarum* Conſtitutionum, antequam eæ à ſupremis ſuis ſenatibus viſæ & Regio Placito munitæ fuerint. Hoc jus Placiti in *Dogmatibus* inde ab antiquis temporibus ad hunc usque diem in Gallia, Belgio, & alibi ſanctè ſervatum eſt. Innititur illud juri & officio Principis paci & tranquillitati ſuorum ſubditorum

Digitized by Google

conſulendi, eáque omnia, quæ illam turbare poſſent, prævenïendi, in quantum ipſa Fides & Religio Chriſtiana ſinit; nec non impediendi, ne forſan ſub prætextu Religionis jura & privilegia Provinciarum cum notabili populi perturbatione & publicis incommodis invertantur. Non ignoro Regis Chriſtianiſſimi Placitum, quo primùm anno 1714. permiſit Bullam *Unigenitus* in ſuo regno publicari; ſed tum non erat quæſtio de privilegio *Regulæ fidei* illi attribuendo. Poſterius hoc Romanæ Curiæ inventum. Rex tanquam ſuorum ſubditorum tranquillitati noxium à ſuis ditionibus excluſit.

Verùm amplius aliquid in ea, de qua nunc agimus, dictione conſiderandum eſt. Decreta, quibus interdum pro locorum & temporum conditione vetatur, ne quis in hac vel illa materia *dogmatica* utatur certis terminis vel expreſſionibus, eò quòd hoc vel illo tempore & loco termini illi vel expreſſiones facilè nata ſint inducere in errorem, ſchisma, aut alia gravia incommoda; ubi alio tempore & loco à ſimilibus terminis & locutionibus nullum metuendum eſſet ſpiritualis mali periculum: tales inquam termini, ſive in jam deſcripto caſu *prohibeantur*, ſive in contrariis circumſtantiis *præcipiantur*, ad Diſciplinam pertinent, proinde mutationibus obnoxii eſſe poſſunt. Van Eſpen *Tract. de Promulgat. Legum Eccleſ. Part. V. Cap.* 1. §. 1.

Interim quidquid ſit de nomine & qualitate *Regulæ fidei*, quam Clemens XIII. & fortè quidem alii Conſtitutioni *Unigenitus*, ſive rectè, ſive minùs, ſive propriè, ſive impropriè tribuerunt, illud certum eſt, plures Galliæ Antiſtites in ſuis Paſtoralibus Documentis, plures Univerſitates, Pariſinam præſertim, ipſum demum Regem Chriſtianiſſimum in ſuis Edictis, in illa agnoviſſe *Judicium univerſalis Eccleſiæ in materia doctrinæ.* At ſi ex altera parte conſiderem *a*) Auguſtiſſimam Belgii Catholici Dominam, Reginam Apoſtolicam, plures alios Catholicos Principes, ſuis hac de re ſubditis, imò

Epi-

Epiſcopis & Univerſitatibus ſilentium imponere; cùm tamen verbum Domini alligari non debeat: *b*) in Gallia, vigore Edicti regii de 10. Decembris 1756. & aliorum anteriorum, itidem omnibus & ſingulis circa hanc Bullam, tot contentionum & motuum matrem *abſolutum ſilentium* imperari, ſalvo *de cætero* jure Epiſcoporum fideles ſuæ curæ commiſſos inſtruendi; atque in horum ſequelam in eos, qui eandem Bullam ſub præfata qualitate non admittentibus ſacramenta negant, à Curiis regiis, tanquam in ſchismatis auctores ac fautores ſeverè animadverti; quando nemo neſcit, ſancta canibus dari non debere: *c*) Papam hæc minimè ignorare; & tamen easdem Curias ſeu Parlamenta pro hæreticis & ſchismaticis non habere: *d*) ex tali ſilentio tacitum Eccleſiæ conſenſum communiter elici, juxta illud S. Auguſtini Epiſt. 55. ad Januar. *Eccleſia Dei, quæ ſunt contra fidem vel bonam vitam, nec approbat, nec TACET, nec facit*; nec non illud Felicis III. Diſt. 83. Cap. 3. *Error, cui non reſiſtitur, approbatur*: Si, inquam, omnia hæc & ſingula conſiderem, neſcio, an cum Zaccaria *pag.* 426. adeo commoveri debeam in eum, qui Notas criticas in Judicium Academicum Colonienſe ſcribens, *Tom. II. Febr. pag.* 72. in tanta rerum & factorum oppoſitione, quandam in re ipſa ambiguitatem, quoddam ænigma invenit, quod aliis reſolvendum malo relinquere, quàm ipſe enodare. Conf. interim *Tom. I. Febr. Cap.* 6. §. 8. *n.* 2. 5. 7. 11. 13. ÿ. *ad* 3. 14. 17. *ſeqq.*

VII. Magis adhuc ſtomachatur Jeſuita *pag.* 444. *ſeqq.* quando videt memoratum Notarum criticarum auctorem *pag.* 70. aliqua proferentem, quibus Epiſcopos fœderati Belgii cum ſede Romana pro bono Eccleſiæ & Religionis Catholicæ reuniri poſſe putavit. Carpit primùm, quod ab eodem Auctore dictum legit, ſibi videri in Ultrajectina Synodo anni 1763. (*abſtrahendo à Conſtitutione Unigenitus*) quæſtionem de Gratia ſatis catholicè explicari. Ubi „ *abſtrahi ne*, „ inquit, ab ea Conſtitutione poteſt, orthodoxâ fide ſalvâ?

„ & in ea quidem quæſtione, quæ *de Gratia* eſt. Sectam „ ſic, ait, fulciri, quæ, ubi libera eſt, ad ſchisma per ſe proruit, quâque in Hollandia tanquam ſchismatica habetur, & „ à multis annis ſeceſſionem fecit à Romano - Catholicis. „ Demum addit, cauſam potiorem diſſidii eſſe, quòd illi „ Formulæ Alexandri VII. ſubſcribere recuſaverint, & quòd „ Bullam *Unigenitus* acceptare renuant. Poſt hæc, ſuggerat „ ergo, inquit, Febronius, quei tandem cum Eccleſia Ca„ tholica ſint perditi illi homines conciliandi. Si fortaſſe ve„ lit, ut Pontifices ejus exemplo abſtrahant à ſæpius memo„ rata Conſtitutione & Formulario Alexandrino, in re tam „ ſeria nugabitur, & peſſimè de univerſa Eccleſia merebi„ tur.

Cùm conſilium meum adverſarius in re tam ſeria petat (ſi tamen ſeriò expetat) repetam illud, quod jam ſeriò datum, & optato cum fructu practicatum eſt; ſcilicet, ut ab Alexandri VII. Formulario & Clementis XI. Conſtitutione *abſtrahatur.* Si Rex Galliæ, ſi Auguſtiſſima Romanorum Imperatrix hoc medio proſpero cum ſucceſſu uſi ſunt, absque quòd in re tam ſeria nugari, aut de univerſa Eccleſia peſſimè mereri viſi fuerint, idque ad ſedandos motus & diſſidia, tum civilia, tum Eccleſiaſtica; quantò magis id poterit, imò debebit communis Eccleſiæ Pater & Paſtor, tot oves perditas quæſiturus; & eas quidem, quæ à Catholicis hactenus ſeparatæ non dignoſcuntur, ſeparatas eccleſias, ſacra, myſtâsque habendo, ſed quantùm ad ipſas, degunt in unitate Corporis myſtici. Foret hoc meræ *Diſciplinæ*, non *Dogmatis* negotium. Si tamen verum eſt (quod ego quidem arbitror), quòd eorum profeſſio *de Gratia* catholica ſit. Qui ſicut in Gallia, ita in Belgio *Auſtriaco*, ſub imperato à pia Principe *Silentio* boni Catholici reputantur & ſunt; quare in *Fœderato* per negatam durè *abſtractionem* in ſchismate linquentur? Finaliter imperandi *Gloriam* vincere debet imperantis, præſertim ſacri, *Charitas.*

Opti-

Optimus rerum magiſter Tempus eſt. Nemò neſcit motus, quos Roma poſt Gallicanam quatuor articulorum Declarationem anni 1682. protruſit; adeo ut in decimum usque annum illis, qui Cœtui interfuerant, & deinde à Rege ad Epiſcopatus nominati ſunt, conſtanter bullas Confirmationis negaverit; Hodie omnes qui ad Galliæ Cathedras promoventur, non *ſilent*, non *abſtrahunt*, ſed directè jurant in veritatem & pro defenſione eorundem Articulorum; & Roma illis bullas largitur ſine ulla obmurmuratione. Quis nobis dicet, non aliquando futurum Pontificem, qui veri Paſtoris & Patris viſcera gerens, medium in proprio ſuo corde inveniat ſibi Epiſcopos Hollandiæ conciliandi, ſive per *abſtractionem*, ſive per *ſilentium*, ſive alio quovis modo; dummodo, uti dixi, eorum ſententiæ de cætero ſanæ ſint & catholicæ. Animorum motus cum tempore ſedantur, & tandem ſubſident; utinam hi non accendantur per homines ſua magis quærentes quàm quæ Dei ſunt. Contra hos Ultrajectinæ Provinciæ Clerus palam proteſtatus eſt, *ſe omnes damnare errores, ac ſigillatim etiam eos, qui in quinque famoſis propoſitionibus Formularii Alexandrini continentur, ſolam ſe pati difficultatem circa factum, ſcilicet an damnati iſti errores in Libro Janſenii contineantur, ideoque propoſitiones iſtas ſecundùm Formularii iſtius verba non poſſe damnare in ſenſu ab Authore intento.* Vide Appendicem ad Tract hiſtor. de reb. Eccleſ. Ultraject. de an. 1761. Cap. 8. Hæc publica declaratio an non mereatur ſaltem abſtinentiam à nigro *Hæreticorum* ſeu *Schismaticorum* commate, prudentiores æſtiment.

Ignoſcet æquus Lector ſcriptori pro reunione Ultrajectinorum, non minùs quàm Proteſtantium, pauca verba facienti, nil ſtatuendo, ſed nudè proponendo.

VIII. Tantis denique concertando cavillationibus Zaccaria utitur in ſuo Antifebronio vindicato *Differt. V. Cap.* 7. ad probandum, quòd abſoluta generalium Conciliorum neceſ-

ſitas

ſitas à Febronio ſuſtineatur, ut ille ſi aliunde quis eſſet non ſciretur, vel ex hoc ſolo *Jeſuita* noſceretur. Audiamus eum ſic diſſerentem *pag.* 460. „ Inquit (*Febronius Tom. II.* „ *p.* 540) ſe cum Boſſuetio *divinum humanorum cordium* „ *motum* admiſiſſe, quo fiat, ut in *viſibili & perpetua Epiſco-* „ *porum communione ſana doctrina ſemper obtineat*, de eóque „ ſic pronuntiaſſe: *neque neceſſum eſt, ut divinus ille motus* „ *ſemper fiat per medium Generalium Conciliorum*; *eundem* „ *enim per conſtantem & uniformem Eccleſiæ obſervantiam* „ (*quæ nec falli nec fallere poteſt*) *non minùs fieri obſervavimus* „ *Cap. I.* §. 9. Quid tum? Fac iſta ejusmodi eſſe, ut abſo- „ lutam generalium Conciliorum neceſſitatem excludant. Er- „ go non illam Febronius adſeruit, dum probandum ſeptimo „ ejusdem Capitis ſexti paragrapho ſumpſit, *Concilia genera-* „ *lia abſolutè neceſſaria eſſe*? Id ſolummodo argumento eſt, „ aut Febronium prioris ſui dogmatis abſurditatem his vo- „ luiſſe obtegere, aut pugnantia heic etiam, uti ſæpe aliàs, „ docuiſſe quadam erroris neceſſitate, qui ſuos adſertores in „ diſſonas, ſecúmque confligentes opiniones veluti in ſyrtes „ ſcopulósque ferè ſemper abducit. Univerſalis Eccleſiæ ob- „ ſervantia infallibilis eſt, & ad continendos in officio fideles „ plurimùm valet; ſed ad dirimendas tamen *ultimo judicio* „ Fidei controverſias Concilio opus eſſe, ipſe Febronius eo- „ dem illo paragrapho ſeptimo diſertè tradit. „

Vidimus accuſationem; audiamus probationes. Ecce eas ex citato Adverſarii Capite ſeptimo. 1) Febroniani Capitis VI. §phi 7. hic titulus eſt: *Concilia generalia* ABSOLUTE *neceſſaria eſſe Eccleſia ſæpiùs agnovit. Ea frequentiùs haberi optat Eccleſia, & Canones præcipiunt.* Propoſitio, ait, clara, ùt quisque videt, & generalis eſt. Sic autem paragraphum Auctor inchoat: *Sed inſtemus paulò ampliùs neceſſitati cogendorum univerſalium Conciliorum, propter indeclinabilem in materiis fidei auctoritatem* ILLIS SOLIS *inhærentem.* Quid, inquit, ad idem ſignificandum apertius? Nam *abſolutè* neceſſaria eſt

in

in Eccleſia *indeclinabilis in materiis fidei auctoritas*; ſi ergo hæc auctoritas SOLIS *generalibus Conciliis inhæret*, hæc *abſolutè* neceſſaria dicenda eſt. 2) Objicit ſibi Febronius l. cit. n. 2. pag. 418: *ergo ais, nullus hæreticorum exiſtimabit ſe ultimatò & infallibiliter damnatum, niſi per univerſale Concilium.* Reſpondet autem: *ita ſanè ex noſtra ſententia omnibus illis caſibus, & in eis circumſtantiis, quibus tu conformem Epiſcoporum cum Papa ſententiam deſideras.* Similia ſunt, quæ deinde tradit n. 13. pag. 427. *accedens omnium Eccleſiarum extraconciliaris conſenſus juxta probata non eſt ejusdem indolis nec* IN VIA UNIVERSALIS JUDICII *babet eamdem vim, quam obtinet definitio earumdem Eccleſiarum in Oecumenica Synodo congregatarum & collegialiter ſtatuentium.* Arguo jam (ſic ſubſumit Jeſuita pag. 456.) *abſolutè neceſſarium eſt* in Eccleſia tribunal, à quo Hæretici *exiſtiment ſe* ultimatò & infallibiliter *damnatos*, quódque habeat *in via univerſalis judicii* vim *ſupremam*; ſi igitur *Febronius* ſolis generalibus Conciliis hoc tribuit, ea *abſolutè neceſſaria eſſe* exiſtimavit. 3) ſed quis (ſic Febronius pag. 426. n. 11.) *ultimatò* decidet, cùm prudenter dubitatur, aut controvertitur, num *conſtans illa & univerſalis Eccleſiæ obſervantia pro hoc illóve articulo habeatur, ſive, ut cum Vincentii Lirinenſis Commonitorio Cap. 3. & 4. loquar, an revera adſit illud Quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus? Haud dubiè Concilium.* Unde Adverſarius pag. 461 concludit: *Abſolutè* igitur *neceſſarium* eſt Concilium, quoties, quod à Novatoribus ſemper fit, univerſalis Eccleſiæ obſervantia ac traditio in dubium vocatur: Quòd ergo *Febronius* hanc Eccleſiæ obſervantiam veluti certiſſimam confirmandæ veritatis regulam indicarit, non eum à traditæ Conciliorum generalium *abſolutæ* neceſſitatis abſurditate abſolvit.

Hæc omnia *Tricas* ipſe vocat Zaccaria *pag.* 457 ſcribens: *Miraberis lector, cur hiſce te tricis detineam?* Sed illico cauſam ſubdit; quia Febronius in ſuis defenſionibus Tom. II. p. 476. negare audet, quod Jeſuita aſſeruerat, nimirum ſe

abſolutam Conciliorum generalium neceſſitatem ſtatuiſſe, imò pag. 540. hanc vocat *iniquitatem imputationis.* Hæc quia repugnant privilegio *inerrantiæ Jeſuiticæ*, ideo Jeſuita *tricas* facere debuit. Expendamus nunc ſingulas has Jeſuitæ tricas.

Ad primam: dixit ſanè Auctor noſter, & Tom. I. Cap. VI. §. 7. probavit, Concilia generalia *abſolutè* neceſſaria eſſe, ſed ânne dixit illud *pro omni caſu?* Dixit ibidem in ingreſſu paragraphi, *ſolis* Conciliis generalibus inhærere infallibilitatem, ſed apertum eſt, eum hoc enuntiaſſe unicè in comparatione & reſpectu ad Rom. Pontificem; etenim immediatè poſt hanc propoſitionem & ad ejus confirmationem ſequitur prima illius probatio, his Ill. Boſſueti verbis: *Quorſum attinebat, ab ultimis orbis partibus cieri Epiſcopos, tantis laboribus, tantisque ſumtibus, & Eccleſias Paſtoribus viduare*, SI TOTUM ERAT IN ROMANO PONTIFICE? &c.

Altera trica nec obolo plus valet quàm prima. Depulimus jam eam *Tom. II. pag.* 541. ubi ex traditis Tomi primi expoſuimus differentiam inter Eccleſiam *definientem* & *tradentem.* In Conciliis Eccleſia congregata *definit*, *judicat*, extra ea Eccleſiarum conſenſus argumentum & probatio *traditionis* eſt. Hic poſterior, ùt diximus, non operatur *per modum judicii*, ſed per divinum humanorum cordium motum, quo fit, *ut in viſibili & perpetuâ Epiſcoporum communione ſana doctrina ſemper obtineat.* Hoc eſt, quod ſuprà *Num.* 3. diximus ex Paſtorali Documento Archiepiſcopi Cameracenſis de an. 1729. „ Jeſus - Chriſt ne permettra jamais, que les „ Evêques ſe trompent *dans leur commune predication*, parce „ qu'il leur a promis d'être avec eux tous les jours jusqu' à „ la conſommation des ſiécles. „ In hac *communi Eccleſiarum doctrina*, ùt Meldenſis Epiſcopus loquitur, ſeu in *communi hac Epiſcoporum prædicatione*, ùt ait Cameracenſis, conſtituimus infallibilitatem doctrinæ & Catholicæ fidei inerrantiam, magis quàm in ſubſcriptione Bullæ Pontificiæ, ſive *auctoritativâ*,

tivâ, ſive *obedientiali*, ùt laudatus Cameracenſis Archiepiſcopus loquitur.

At ſic non habebimus in Eccleſia promptum paratúmque tribunal, à quo Hæretici exiſtiment ſe *ultimatò* & *infallibiliter* damnatos, quódque in via univerſalis judicii vim ſupremam obtineat; attamen hoc juxta Zaccariam *abſolutè* neceſſarium eſt. Certum & *ſecurum* adversùs hareticos præſidium eſt in memorato Eccleſiarum conſenſu, *promptius* quàm generale Concilium, in Eccleſia neque neceſſarium neque uſui eſſe, neque tamen eapropter hæreſibus apertum campum relinqui, ſatis demonſtratum eſt *Tom. I. Febr. Cap. VI.* §. 8. *à n.* 14. *ad finem*, *&* *tot.* §. 9.

Pro reſponſione ad tertiam adverſarii tricam, ex eo quæremus: Si dubium ſit & controvertatur, an habeatur ſufficiens *numerus* Epiſcoporum Summo Pontifici in deciſione fidei adhærentium: an debita inter illos adſit in ſubſtantialibus *ſententiarum conformitas*: & ſi quidem ea inter illos eſſe mox creditum fuerit, pòſt autem ex *multorum* prædicatione, ſeu *ſcriptâ*, ſeu *orali*, variare obſerventur: ſi inquam quæramus, quodnam omnibus & ſingulis his caſibus ſit evadendi medium & fidem aſſerendi? reſpondemus cum S. Auguſtino *Lib. de unico Baptiſmo adverſùs Petilianum Cap.* 14. item *Lib. II. contra Donatiſtas Cap.* 8. denique *Lib. II. contra Creſconium Cap.* 3. *&* 4. non ſupereſſe aliud quàm auctoritatem Concilii generalis. Vid. *Tom. I. Febr. Cap. VI.* §. 9. Anne hoc eſt Concilia generalia tam *abſolutè* & pro *omni* caſu & cauſa finiendæ quæſtionis fidei neceſſaria aſſerere, ut (quod Febronio Jeſuita *pag.* 451. iterum affingit) nulla ſine ejusmodi conventibus extingui hæreſis debeat? Anne hoc eſt diſſonas ſecúmque confligentes opiniones obtendere, ut prioris dogmatis abſurditas obtegatur? Anne hoc eſt Tomo Defenſionum id eſt ſecundo, mutare, aut, ùt ille *pag.* 461. catiosè loquitur, *fere*, ſive ùt ante *pag.* 330. dixerat, *cautè*, mutare,

 opinio-

opinionem vel doctrinam Tomi primi? *Cautè*, inquit, receſſit? a quo autem receſſit? *à celeberrimo apud Queſnellianos dogmate, quo Eccleſiæ diſperſæ conſenſioni finiendarum controverſiarum auctoritas adimebatur.* Sic calumniator ille *cit. pag.* 330. Majore adhuc temeritate, aut verius impietate, ſcribit pag. 480. *Febronius nunc pedem retrahit, & oretenus ſaltem (corda enim unus ſcrutatur Deus) diſperſam quoque Eccleſiam controverſiarum infallibilem judicem profitetur.*

Vis poſt hæc demum nôſſe, in quo ſententia Febronii diſtet (ſi tamen diſtat) ab illa nonnullorum, certè non omnium, Gallorum, minimè autem ab illa primarii horum luminis Boſſueti? In eo, quòd hi infallibilitatem *extra - Conciliarem* videantur ſtatuere in *ſolo acceſſu Epiſcoporum*, ad mentem & decretum Pontificis; ille *magis in conformi Eccleſiarum doctrina*; quæ tantùm abeſt ut Papam & Epiſcopos excludat, ut à contrario potiſſimam illis hac in re partem debeat.

FINIS.

VA1 1531852

Digitized by Google